


LIBER PRIMUS

DE PRINCIPIIIS GENERALIBUS

Quia Theologiae moralis est tractare de activitate humana prout ordinatur in finem hominis supernaturalem, antequam de activitate humana in particulari et de singulis praeceptis quae actiones in finem dirigunt sermo esse potest, prius activitas moralis hominis *modo generali* consideranda occurrit. Quare dicemus: 1^o de ultimo fine humanae vitae; 2^o de moralitate actuum humanorum generatim; 3^o de conscientia tamquam de regula interna et subiectiva ordinationis actuum humanorum in finem ultimum; 4^o de lege, quae eorum regula obiectiva existit; 5^o de peccatis, seu de actionibus quae a regulis morum deflectunt; 6^o de virtutibus, seu de iis principiis internis remotis actuum humanorum, quibus homo stabili modo disponitur ad eliciendas actiones, regulae morum conformes.



TRACTATUS I.

DE ULTIMO FINE VITAE HUMANAE

S. Th. in IV Sent. Dist. 49; C. Gent. lib. 3; 1-2. q. 1-5.

Quia in ordine operandi finis habet rationem principii, ex fine oportet accipere rationes eorum quae sunt ad finem. Considerantes igitur finem totius vitae humanae, dicemus 1° de habitudine activitatis humanae ad finem in genere; 2° de exsistentia finis ultimi humanae vitae; 3° de beatitudine ut est finis ultimus humanae vitae; 4° de Deo ut est finis ultimus humanae vitae; 5° de consecutione finis ultimi; 6° de erroneis circa finem vitae humanae doctrinis.

CAPUT I.

DE HABITUDINE ACTIVITATIS HUMANAE AD FINEM

1. — **Notio finis.** Finis est id cuius gratia, idest ob cuius amorem, cetera fiunt, seu id propter quod aliquid fit.

In fine seu causa finali triplex elementum distinguendum est: 1) *ratio formalis*, quae est in eo quod *cetera omnia movet*; movet autem non agendo sed alliciendo, motione reali, non tamen physica, sed metaphorica. Ait enim S. Thomas: Sicut influere causae efficientis est agere, ita influere causae finalis est appeti et desiderari. 1) 2) *Ratio materialis*, quae est in eo quod *ratione bonitatis* seu appetibilitatis suae movet: bonum enim habet rationem finis. 3) *Conditio* requisita ut moveat, quae est in eo quod sit *in intentione*: movet enim finis prout est apprehensus et esse intentionale habet in intellectu. Unde finis, quamvis ultimum in executione, est tamen primum in intentione et causa causae. 2)

Bonum quod habere potest rationem finis, est aut bonum honestum aut bonum delectabile, non vero bonum utile: bonum enim utile qua tale nequit ratione sui appeti ideoque necessario induit rationem medi ad finem. 3)

Finis quasi componitur ex tribus partibus integrantibus: *res* propter cuius assecutionem aliquid fit, vocatur FINIS QUI (seu cuius gratia); ipsa *assecutio* huius rei vocatur FINIS QUO; *subiectum* cui rem appetimus vocatur

1) S. Thomas, *Qu. de Ver.* 22. art. 2. c.

2) Jo. a S. Thoma, *Cursus theol.* I. II. Disp. 1. art. 1. n. 6.

3) Jo. a S. Thoma, *ibidem.* S. Th. 1. qu. 5. a. 6.

FINIS CUI. Ita pauper cui possessionem pecuniae appetimus, est finis cui; ipsa possessio pecuniae est finis quo; tandem pecunia est finis qui.

2. — **Divisiones finis.** Finis dividitur: 1° *ratione fontis eius seu originis seu subiecti: in finem operis seu operationis*¹⁾, et *finem operantis.*

Finis operis est ille qui ipsi operationi ex natura sua debetur, seu ad quem ex natura sua tendit; sic finis operis deambulationis est mutare locum. Finis operantis est finis quatenus constituitur intentione operantis.²⁾ Ita finis operantis deambulationis potest esse: procedere ad furtum, ad ecclesiam, ad negotiationem. Finis operantis potest esse idem ac finis operis, potest etiam esse diversus; imo fieri potest ut ab operante solus finis aliquis extrinsecus tamquam finis intendatur, dum finis operis tamquam medium eligitur.

2° *ratione influxus seu causalitatis:* finis aut est *totalis*, quando solus, vel *partialis*, quando una cum alio fine ad agendum movet.

Fines autem partiales sunt *aeque principales*, si omnes aequaliter et sufficienter movent ad agendum, ut si quis aequaliter recreationis et lucri causa iter instituat; aut unus est *primarius*, alter *secundarius*. Finis *primarius* est ille, qui per se primo movet; *secundarius*, qui non per se primo, sed consecutive et supposito priore seu huius subordinate movet, etiamsi solus non moveret ad agendum; quamvis forsitan etiam ob solum finem principalem operans non ageret; ut si quis Missam celebret per se primo quidem ob honorem Dei; attamen hoc praesupposito, etiam ob stipendium; quo deficiente non celebraret.

3° *ratione termini:* finis est aut *proximus* aut *remotus*; *ultimus* aut *intermedius*.

Finis proximus est ille qui immediate, nullo alio fine interposito, intenditur; remotus est qui mediante alio fine intenditur. Finis vero ultimus est ille qui ad nullum ulteriorem finem dirigitur; sive simpliciter, quoad totam activitatem humanam; sive secundum quid, quoad determinatam actionum seriem, ut victoria in operationibus bellicis. Finis intermedius est ille qui ad ulteriorem finem dirigitur. Tam finis ultimus quam intermedius possunt esse sive proximus sive remotus.

3. — **Principia.** I. FINIS est *OBJECTUM actus humani.*³⁾ Actus enim humanus est actus cuius homo est dominus.⁴⁾ Est autem homo dominus actuum suorum, prout ex voluntate deliberata procedunt. Obiectum autem voluntatis est finis et bonum.

Confirmatur argumentum ostendendo singulos actus voluntatis sive elicitos sive imperatos poni propter finem.⁵⁾ Actus enim *eliciti* aut immediate propter finem ponuntur ut simplex volitio et intentio finis, aut mediate ut consensus, electio et usus activus, utpote versantes circa ea quae sunt ad finem. Disputatur

¹⁾ Dico « seu operationis », id est alicuius actus seu motus. Aliquando vero finis operis intelligitur operis iam perfecti, sive sit res naturalis sive opus artificum, puta domus.

²⁾ Jo. a S. Thoma, ibidem n. 19.

³⁾ 1. 2. qu. 1. a. 1.

⁴⁾ Cfr. infra n. 18.

⁵⁾ Cfr. infra schema actuum humanorum, n. 19. Billuart. *De fine ult. Diss. 1. art. 1.*

quidem quoad fruitionem seu possessionem finis et delectationem inde consequentem. Et negandum videtur eas poni propter finem: fruitio enim est potius ipse *finis quo*, una cum *fine qui* ipsius actus humani finem totalem constituens; delectatio non est nisi actus humani complementum. Sed ideo praecise thesis etiam de hisce non intenditur. Actus autem *imperati* (usus passivus) imperantur a voluntate ex amore finis ideoque propter finem, ut scil. voluntas per eos tamquam per media finem assequatur. Qua in re notes etiam actus intellectus qui versantur circa finem (apprehensio simplex et iudicium) vel circa media (consilium, iudicium practicum et imperium) per quandam reflexionem voluntatis supra seipsam posse imperari: de cetero semper concurrunt cum actibus elicitis voluntatis ad aliquid unum constituendum atque hoc modo ponuntur propter finem.

II. OMNIA *quidem agunt propter finem, sed HOMINI PROPRIUM est agere propter finem, quatenus SE MOVET ad finem.*¹⁾ Probatur prior pars ex hoc, quod agens debet esse *determinatum* potius ad hunc quam ad illum effectum producendum; determinatio autem ad certum effectum habet rationem finis. Unde finis est prima inter causas, qua subtracta nihil fieret. Probatur altera pars ex hoc, quod dum alia tendunt in finem quasi ab alio mota, homo qui cognoscit rationem finis, *seipsum* movet ad finem, quia habet dominium suorum actuum per liberum arbitrium.²⁾

III. *Actus humanus recipit SPECIEM ex fine.*³⁾ Actus enim humanus sumit speciem sive a principio sive a termino agendi, sicut omnis motus. Sed principium agendi pro actu humano est voluntas cuius obiectum praecise est finis; terminus autem actus humani pariter est id quod voluntas tamquam finem intendit.

CAPUT II.

DE EXSISTENTIA FINIS ULTIMI HUMANAE VITAE

4. — **Principia.** I. *Humana vita ordinatur in aliquem finem tamquam ULTIMUM, ita ut processus in infinitum in finibus repugnet.*⁴⁾

Duplex est SUBORDINATIO causarum: est subordinatio PER SE, si causa *ut causa*, seu in ipso exercitio causalitatis, pendet ab altiore causa, ita ut causalitatem exercere non valeat sine illo altiore movente. Exempla sunt: rota horologii, arbor fructificans sub influxu solis. Est subordinatio PER ACCIDENS, si causa non in causando, sed secundum aliam rationem, ut effectus seu res aliqua, ab alio pendet, ut v. g. in serie generationum.

¹⁾ 1. 2. qu. 1. a. 2.

²⁾ Quo sensu Deus agat propter finem, vide apud Jo. a S. Thoma ibidem *disp. 1. art. 2. n. 30-33. Infra n. 11 et 12.*

³⁾ 1. 2. qu. 1. a. 3.

⁴⁾ 1. 2. qu. 1. a. 4.

Fines et media humanae vitae si sunt subordinata *per accidens*, infinitas, spectata saltem coniunctione eorum, non repugnat; quia causae per accidens ad invicem se habentes sunt indeterminatae et ideo semper augeri possunt. Sed singuli fines hoc modo iuncti, aut sola virtute propriae bonitatis movent ad agendum: et tunc sunt finis ultimus; aut movent in virtute alterius finis; et tunc huic fini per se subordinantur. Fines autem et media duplici modo *per se* subordinantur: in ordine intentionis et in ordine executionis. Porro, in ordine *intentionis*, subtracto primo principio unde movetur appetitus, seu ultimo fine, appetitus a nullo moveretur; in ordine *executionis*, subtracto primo principio unde incipit operatio, seu primo medio, nullus inciperet operari nec terminaretur consilium de mediis. Unde tam in finibus quam in mediis per se subordinatis impossibile est in infinitum procedere. Ergo actio humana movetur a fine aliquo tamquam ultimo.

Hinc falsa est doctrina KANTII iuxta quem finis ultimus hominis consisteret in *progressu infinito* perfectionis *individui*, vel doctrina SCHLEIERMACHER, WUNDT et recentiorum evolutionistarum iuxta quos consisteret in perpetuo *progressu culturae* generis humani. Etenim « qui infinitum faciunt auferunt naturam boni » (Aristoteles), i. e. ponendo illud in re numquam adipiscibili, tollunt possibilitatem boni. Bonum est, quatenus est conveniens, ergo quatenus in illud tendere possumus; sed in bonum inadipiscibile nemo tendit; ipsum etiam tendere seu *progredi* nequit esse primum bonum; sicut nec videre potest esse primum obiectum potentiae visivae, nec velle voluntatis.

II. *Voluntas humana non potest SIMUL se habere ad DIVERSA tamquam ad fines ultimos, sed tantum ad UNUM.* ¹⁾ Probatur 1° quia finis ultimus appetitur tamquam *bonum perfectum*. Sed non appeteretur tamquam bonum perfectum, si extra illud aliquid aliud ut bonum perfectum appeteretur. 2° quia ultimus finis est *principium* in processu appetitus, quum naturaliter appetatur. Sed tale principium est unum; *natura* enim tendit in unum, quia est unius speciei; operari autem sequitur esse. 3° quia actus humani, sicut ex fine *speciem*, ita ex fine ultimo *genus* sortiuntur, quia finis ultimus in finibus *communis* est; eodem modo quo etiam naturalia in aliquo genere ponuntur secundum aliquam rationem formalem *communem*. Atqui actus humani sunt *unius generis*, quia omnia appetibilia seu omnes fines in hoc conveniunt quod sunt obiectum *unius* voluntatis qua talis. Ergo finis ultimus est tantum unus. Notetur dicta valere non tantum de uno fine ultimo hominis simpliciter relate ad genus humanum, sed etiam de uno fine ultimo huius hominis relate ad hunc hominem. ²⁾

Vasquez et alii sentire videntur simul cum fine *absolute* ultimo stare posse finem ultimum *negativum*, i. e. talis qui non quidem refertur ad alium, sed ad quem tamen nec alii referuntur; immo dari posse *plures* fines ultimos negativos, quin adsit absolute ultimus. Et hoc quidem ut explicet quomodo creatura sit ultimus finis peccatoris. Sed

¹⁾ I. 2. qu. 1. a. 5.

²⁾ Cfr. Pègues. *Somme théol.* VIII. p. 38.

finis ultimus negativus admitti nequit. Nam aut appetitus est satiatus, et habetur finis absolute ultimus; aut non est satiatus, et tunc nullo modo est finis ultimus et ad ulteriorem necessario refertur. Cfr. infra n. 16.

III. *Homo OMNIA quae appetit, propter finem ultimum appetit.*¹⁾ Probat. 1° Quidquid enim non appetitur ut bonum perfectum, appetitur tamen ut *tendens* in illud; nam semper inchoatio alicuius ordinatur in eius consummationem, ut patet tam in naturalibus quam in artificialibus. Atqui bonum perfectum est finis ultimus. Ergo. 2° Finis ultimus est primum movens in motione appetitus. Sed moventia secunda non movent nisi mota a primo movente. Ergo. Cfr. supra sub I.

QUAERITUR AN PROPOSITIO ETIAM VALEAT DE FINE ULTIMO IN CONCRETO SUMPTO.

Sunt qui negent; alii tamen affirmant, hoc sensu, quod *indirecte* etiam valeat de fine ultimo materialiter sumpto; quia nemo agit sub influxu boni perfecti in statu abstractionis; nam non posset iudicare de proportionem mediorum ad talem finem; hinc numquam sese ad agendum determinaret.²⁾ Alii respondent ad hoc sufficere ut agat propter beatitudinem in communi, id est non mere in abstracto, sed in confuso seu generaliter sumptam.³⁾ Cfr. infra n. 16.

IV. *Ultimus finis a) formaliter sumptus seu RATIO finis ultimi est UNUS pro omnibus hominibus, sed b) materialiter sumptus, seu ID IN QUO ratio illa invenitur, potest esse DIVERSUS; quamvis c) UNUM tantum bonum potest esse perfecte et VERE finis ultimus; illud scil. quod correspondet affectui bene disposito.*⁴⁾ Ratio *primi*, quia omnes appetunt suam perfectionem adimpleri, in quo est ratio finis ultimi iuxta dicta in principio secundo. Ratio *secundi* desumitur ex experientia, qua videmus quosdam divitias, quosdam voluptates sensuales vel alia appetere tamquam consummatum bonum; et confirmatur ex ordine physico in quo quidem omne id quod gustui est delectabile, dulce est; sed quibusdam maxime delectabile est dulcedo vini, quibusdam dulcedo mellis, aut alicuius similis. Ratio *terti* iterum desumitur ex comparatione cum ordine physico, ubi illud dulce oportet simpliciter esse melius delectabile, in quo maxime delectatur ille qui habet optimum gustum; eodem ergo modo illud bonum oportet esse *completissimum* quod tamquam ultimum finem appetit ille qui habet affectum *bene dispositum*.

¹⁾ 1. 2. qu. 1. a. 6.

²⁾ Ita v. g. Gredt. *Elem. Phil.* ed. 6. II. n. 883. 2: Jo. a S. Thoma, *disp.* 1, n. 2, 26.

³⁾ Ita Garrigou-Lagrange, quoad peccatum veniale: *Rev. Thomiste* 1924, p. 314 *seqq.*

⁴⁾ 1. 2. qu. 1. a. 7.

CAPUT III.

DE BEATITUDINE UT EST ULTIMUS FINIS
HUMANÆ VITÆ

Finis ultimus est bonum perfectum. Sed possessio boni perfecti intellectualis naturæ vocatur *beatitudo*.¹⁾ Unde dicit S. Thomas quod « finis ultimus vitæ humanæ ponitur esse beatitudo ». ²⁾ De qua nunc agendum est.

5. — Notio et divisio. Beatitudo definitur a Boëthio: « STATUS bonorum omnium *aggregatione* perfectus ». ³⁾ Hoc modo includit *omne* illud quod pertinet ad perfectionem hominis. Sed hic specialius quaerimus in quonam consistat ESSENTIA beatitudinis, seu cuiusnam boni possessio primo appetitum humanum perfecte satiet. Unde definitur beatitudo sic intellecta: quies in possessione alicuius obiecti quod totaliter satiet appetitum.

Hinc duplex oritur quaestio, prima de beatitudine obiectiva, seu de *obiecto* in cuius possessione quies illa perfecta invenitur; secunda de beatitudine subiectiva, seu de modo quo obiectum perfecte beans *possidetur*. Huic duplici quaestioni sponte annectitur tertia de requisitis ad beatitudinem seu de iis quæ requiruntur ad *statum* beatitudinis de quo supra.

Agemus ergo 1° de beatitudine obiectiva (materiali); 2° de beatitudine subiectiva (formali); 3° de requisitis ad beatitudinem.

¹⁾ 1. *qu.* 26. a. 1; 1. 2. *qu.* 5. a. 1 et ad 1.

²⁾ 1. 2. *qu.* 1, introductio. Notandum est S. Thomam quidem, post Aristotelem et S. Augustinum, finem ultimum humanæ vitæ ponere beatitudinem seu « *eudaimoniam* ». Non tamen propter hoc systema eius est *eudaimonisticum*. Non enim finem ultimum ponit ipsam delectationem propter se quaesitam, et multo minus voluptatem; dicit enim 1. 2. *qu.* 34. a. 2: delectatio non iam *secundum se* est bona, sed sequitur bonitatem eius, in quo quiescit appetitus. Et 1. 2. *qu.* 4. a. 2: voluntas non quaerit bonum *propter* quietationem, sed ideo quaerit quod quietetur in operatione, quia operatio est bonum eius. Unde in vita humana id quod valorem habet, non est delectatio, seu ipsum sentire se felicem, sed ipsa perfectissima et maxime conveniens operatio, cuius perfectionis quidem signum est delectatio seu quies appetitus inde sequens. Unde delectatio non est beatitudo, in sensu S. Thomæ intellecta, sed est consequens beatitudinem. Nec modo *subiectivo* determinari debet perfectio operationis, sed id quod revera hominem perficit, est coniunctio ad optimum *obiectum*. Insuper homo non tantum sibi, sed similiter *etiam aliis*, imo omnibus hominibus, velle debet talem beatitudinem. Tandem, homo se et beatitudinem suam et aliorum *ordinare* debet *ad ipsum principium* cui per beatitudinem coniungitur, sc. Deum.

³⁾ De *consol. phil.* l. 3. *prosa* 2.

*Articulus I.***De beatitudine obiectiva.**

6. — **Principia.** I. *Beatitudo perfecta obiectiva neque in bonis externis neque in bonis internis NEQUE IN ULLO BONO CREATO invenitur.* Probatur per partes a D. Thoma,¹⁾ cuius probationis summa haec est:

1° *Beatitudo non invenitur in bonis externis.* Haec enim sunt aut materialia aut spiritualia; materialia iterum sunt aut naturalia aut artificialia. Sed in nullis horum perfecta beatitudo inveniri potest. Nam *naturalia* sunt propter hominem, non vice versa (sunt media, non finis); *artificialia* autem sunt iterum propter naturalia. Bona autem spiritualia sunt honor, gloria, potestas. Sed *honor* et *gloria* HUMANA, ad summum sunt EFFECTUS boni perfecti (in quo est beatitudo); gloria autem apud Deum est eius CAUSA. *Potestas* autem habet rationem principii, non finis, et tam in malum quam in bonum adhiberi potest. Insuper haec omnia 1) inveniri possunt in bonis et in malis, id quod verae perfectae beatitudini repugnat, quippe quae est subiecti optime dispositi; 2) per se sola non sufficiunt; nam dantur adhuc alia bona, ut sapientia, sanitas; ergo sunt *defectuosa* et imperfecta; 3) possunt causare malum; 4) oriuntur ex causis externis, immo saepe ex mera fortuna; sed verum bonum hominis perfectum debet oriri ex principiis humanae naturae intrinsecis, quia homo naturaliter ad illud inclinatur.

2° *Beatitudo non invenitur in bonis internis.* Haec enim sunt aut corpus, aut voluptas, aut anima humana. Sed bonum *corporis* ordinatur ad bonum animae, tamquam ad finem suum, sicut totus homo ad aliquid extra se ordinatur, quia in se non est summum suum bonum. Bonum autem sensuum, seu *voluptas* sequitur bonum sensu apprehensum; hoc autem nequit esse perfectum hominis bonum, quia anima rationalis excedit proportionem materiae corporalis. Insuper in genere voluptas *sequitur* bonum possessum; non est ipsummet bonum. Quoad *bonum animae* (rationalis), si loquimur de *adeptione* vel possessione finis, sic ad ultimum finem pertinet aliquid hominis ex parte animae. Sed loquendo de *re* quam appetimus ut finem, nequit esse finis ultimus: non ipsa anima, quia est in potentia, ergo est bonum imperfectum; neque aliquid animae, quia per inhaerentiam animae iam est bonum participatum et per consequens particulatum; voluntas autem est appetitus boni universalis.

¹⁾ 1. 2. qu. 2. a. 1-8.

3° *Beatitudo non est in ullo bono creato etiam simul sumpto.* Etenim, illud nequit esse finis ultimus hominis, quod non perfecte quietat appetitum humanum. Sed sicut obiectum intellectus est universale verum, ita obiectum voluntatis est UNIVERSALE BONUM. Ex quo patet quod nihil potest quietare voluntatem nisi bonum universale, quod non invenitur in aliquo creato.

II. *Beatitudo obiectiva invenitur IN SOLO BONO INCREATO i. e. IN DEO.*¹⁾ Rationes sunt: 1° Non invenitur in ullo bono creato, ut sequitur ex dictis sub I; appetitus vero naturalis fallax et illusorius esse nequit. 2° Dum omnis creatura habet bonitatem *participatam*, solus Deus est bonum per essentiam et ipsum BONUM UNIVERSALE. Unde solus Deus voluntatem hominis implere potest, secundum illud Augustini: «Fecisti nos, Domine, ad te et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te» (Conf. l. 1, n. 1). Quo autem modo homo Deo, suo ultimo fini, adhaerere debeat, in sequenti capite dicitur.

Articulus II.

De beatitudine formali.

7. — Principia. I. *Beatitudo hominis perfecta ex parte subiecti seu finis ultimus quo est aliquid creatum et quidem aliqua operatio.*²⁾ Est aliquid creatum, in ipso homine existens, quia nihil est aliud quam adeptio vel fruitio rei beantis. Est autem *operatio*; nam beatitudo debet esse *ultima* hominis perfectio. Atqui talis est solummodo operatio; etenim in tantum aliquid perfectum est in quantum est in actu; nam potentia sine actu imperfecta est. Sed operatio est ultimus actus hominis; unde et «secundus actus» a philosopho nominatur; quia habens formam potest adhuc esse in potentia ad operationem; sicut sciens est in potentia considerans. Et ideo etiam in aliis rebus res unaquaeque dicitur esse propter suam operationem tamquam suam ultimam perfectionem. Ergo necesse est beatitudinem hominis esse operationem.

II. *Haec operatio est operatio partis intellectualis, et quidem ipsius intellectus, non voluntatis, idque intellectus speculativi.*³⁾

Est operatio partis *intellectualis*; nam per partem sensitivam homo nequit iungi Deo. Est operatio *intellectus*, non voluntatis; nam consistit in *consecutione* rei beantis, sed ex actibus voluntatis *amor* a consecutione

¹⁾ 1. 2. qu. 2. a. 8.

²⁾ 1. 2. qu. 3. a. 1-2.

³⁾ 1. 2. qu. 3. a. 3-5; c. *Gent.* 3. c. 34-36; 1. qu. 26. a. 2.

praescindit, cum sit tam habiti quam non habiti, *desiderium* eam excludit; *delectatio* eam supponit. Est operatio intellectus *speculativi*; quia haec est optima potentia ad optimum obiectum (contemplatio Dei); et quia operatio practica est circa media ad finem, speculatio vero quaeritur propter se; et tandem quia operatio practica nobis communis est cum brutis prout et ipsa imperfecte eam habent (per aestimativam); speculativa nobis communis est cum entibus superioribus; porro finis ultimus quo debet esse optima operatio nostra.

III. *Operatio autem intellectus speculativi qua homo perfecte beatur, non consistit in consideratione scientiarum speculativarum, neque in cognitione substantiarum separatarum seu angelorum.*¹⁾ Non in consideratione *scientiarum speculativarum*; nam prima earum principia sunt per sensum accepta, sensibilia autem sunt homini inferiora; per inferiora autem homo non perficitur nisi imperfecte, quatenus scil. inferiora participant de superiore illo quo homo perfecte beatur. Non in cognitione *substantiarum separatarum* seu angelorum: nam habent tantum veritatem participatam, sicut habent tantum esse participatum.

IV. *Ultima et perfecta hominis beatitudo est intelligere ipsum DEUM, immo VIDERE DIVINAM ESSENTIAM.*²⁾ Primum probatur ratione, quia Deus est *summum Verum* et *summum Bonum*, cui homo intelligendo coniungitur. Quoad secundum, ratione probari potest existere in nobis *desiderium naturale videndi divinam essentiam*. Intellectus enim noster, cuius obiectum est *essentia rei*, quando ex *essentia effectus* cognoscit de causa an sit, non quiescit, sed remanet ei *desiderium sciendi de causa quid sit in seipsa*.³⁾ Tamen ratione probari nequit, beatitudinem ad quam *de facto* homo destinatur, consistere in clara Dei essentiae visione. Haec enim cognitio est *supra facultatem naturalem* cuiuslibet intellectus creati, et soli Deo est connaturalis, quia modus cognitionis est secundum modum naturae. Divina autem essentia excedit in infinitum omnem substantiam creatam.⁴⁾ *Revera tamen Deum «ex infinita bonitate sua ordinasse hominem ad finem supernaturalem»* (Conc. Vat. sess. 3, cap. 2, Denz. 1786) constat *ex revelatione*, praesertim ex Novo Testamento (v. g. Io. xvii. 3; Matt. v. 8; I Cor. xiii. 12; I Io. iii. 2.) Cfr. Bened. XII Constit. *Bened. Deus* (Denz. 530); Conc. Flor. Decr. pro Graecis (Denz. 693).

8. — *Quaeritur quomodo doctrina S. Thomae de naturali desiderio videndi Deum componi possit cum supernaturalitate huius visionis. — Multa ultimis*

¹⁾ 1. 2. qu. 3. a. 6-7; c. *Gent.* 3. c. 44.

²⁾ 1. 2. qu. 3. a. 8; 1. qu. 12. per totum: c. *Gent.* 3. c. 25, 37-40, 47-62; *Comp. Theol.* c. 104-107.

³⁾ 1. 2. qu. 3. a. 8; c. *Gent.* 3. c. 50; *Comp. Theol.* c. 104.

⁴⁾ 1. qu. 12. a. 4; *De Verit. qu.* 8. a. 3; c. *Gent.* 3. c. 52, 147; 1. 2. qu. 5. c. 5; cfr. *infra* n. 14.

hisce decenniis, praesertim inde ab a. 1924, circa possibilitatem visionis et naturam desiderii naturalis scripta sunt. ¹⁾

Juxta plures ²⁾ doctrina S. Thomae ita esset intelligenda, ut homo naturaliter quidem desideret videre essentiam Dei, sed Dei ut est auctor naturae, idque desiderio non innato, sed elicito et libero, conditionali demum et inefficaci. Si tali modo doctrina explicatur, nulla datur repugnantia; sive consideratur istud desiderium obiective, sive subiective. Nam si consideratur a parte *obiecti*, agitur solummodo de Deo *auctore naturae*; et revera aliud desiderium naturale admitti nequit, quia naturaliter Deum cognoscimus solummodo ut auctorem naturae, non ut Deum Unum et Trinum. Si consideratur a parte *subiecti*, nulla datur repugnantia; quia desiderium oritur *non ex pondere naturae* (ex desiderio innato), sed ex cognitione effectuum causae primae et quidem posita tali cognitione non ex necessitate naturae, sed cum *libertate* etiam specificationis; neque etiam desiderium illud est desiderium exigentiae visionis, sed solummodo capacitatis visionis indeque est *conditionatum* et *inefficax*; haec autem omnia vires naturae non excedunt. ³⁾

Ex hisce etiam sequitur argumentum S. Thomae neque nimis neque non satis probare. Nimis probaret si vellet probare *exigentiam* visionis; sed suadet tantummodo *capacitatem*; quae tamen est sufficiens ut haec visio dicatur finis noster ultimus. Non satis probaret, si argumentum intenderetur tamquam argumentum apodicticum de fine ultimo supernaturali absolute assequibili; sed agitur solummodo de fine ultimo supernaturali *hypothetice* assequibili, *si scil. Deus nos elevare possit et velit*. Hinc si abstrahatur ab illa conditione, est tantum argumentum convenientiae, vel ostendens potentiam obedientialem homini naturalem qua homo valet elevari ⁴⁾.

Neque obiciatur hominem ergo in statu naturae purae numquam attingere potuisse finem illum ultimum absolutum ad quem naturaliter inclinatur indeque statum illum ex natura sua arguere deordinationem.


Quamvis enim homo finem ultimum illum numquam attigisset, non est deordinatio, sed tantum necessaria quaedam ordinis naturae purae imperfectio. Non est deordinatio quia naturale desiderium illud non exigit finem ultimum supernaturalem; praecise quia est supernaturalis; est autem *necessaria* naturae imperfectio, praecise quia natura ex una parte est capax desiderandi Dei visionem, ex altera parte haec visio est supra eius vires naturales. Ex hac imperfectioe sequitur tantum convenientia elevationis supernaturalis.

¹⁾ Cfr. i. a. Sestili. *De naturali intelligentis animae capacitate atque appetitu intuenti divinam essentiam*, Romae, 1896; idem, *Il desiderio naturale d'intuire la divina essenza*, Roma, 1897; idem, in *D. Thom. Piac.* 1927. p. 57; De Broglie in *Rech. de Sc. Relig.* 1924. p. 193; 1925. p. 5; *Arch. de Phil.* 1925. p. 199; *Greg.* 1928. p. 628; *Nouv. Rev. Théol.* 1937. p. 337; Garrigou-Lagrange. *De Revelatione* I. c. 12; *Rev. Th.* 1928. p. 474; 1933. p. 669; 1936. p. 194; *Le sens du mystère*, 1934. p. 176 etc.; Gardell in *Rev. Thom.* 1926. p. 381, 477, 523, 1927. p. 3; *La structure de l'âme et l'expérience mystique*, 1927, I. p. 268-348; Rolans-Gosselin in *Rev. sc. ph. th.* 1929. p. 193; Elter in *Greg.* 1928. p. 269; Laporta in *Eph. Th. Lov.* 1928. p. 257; Doucet in *Anton.* 1929. p. 167; Dumont in *Eph. Th. Lov.* 1931. p. 205, 471; 1932. p. 5; Fernandez in *D. Thom. Piac.* 1930. p. 5. 503; Malmberg in *Bijdragen S. J.* 1938. p. 104; Matthys in *D. Thom. Piac.* 1936. p. 201; in *Ang.* 1937. p. 175; Motte in *Bull. Thom.* pluries; Raineri in *D. Thom. Piac.* 1936. p. 307, 409; 1937. p. 3. 113. A. Stolz, *Man Theol. Dogm.* - IV p. l. c. 2; P. Bastable. *Desire for God. Does man aspire naturally to the beatific Vision?* London, 1947; Enrico de S. Teresa in *Ephem. Carmelitanae*, 1947. p. 55-102; Gillon in *Angelicum*, 1949. p. 3-30; 113-142.

²⁾ V. g. Gardell. *La structure de l'âme*; Garrigou. *De Revelatione*; Gredt. I n. 518; Matthys *art. cit.* etc.

³⁾ De distinctione inter desiderium exigentiae et desiderium capacitatis cfr. Sestili. *De naturalit...* p. 17. etc.; Gredt. I. n. 548.

⁴⁾ Cfr. Garrigou-Lagrange. *De Revelatione*, I. c. 12.



*Articulus III.***De requisitis ad beatitudinem.¹**

9. — I. *Ad beatitudinem, ut sit completa, requiritur DELECTATIO concomitanter, ita tamen ut in beatitudine visio sit potior delectatione; haec autem supponat comprehensionem.*²⁾

Requiritur delectatio; sicut calor ad ignem, quatenus beatitudo sine delectatione esse nequit; est enim quies appetitus in bono adepto.

*Potior vero est visio; nam delectatio est quietatio voluntatis; sed in casu quietatur ex visione. Nec dicendum appetitum quaerere visionem propter quietationem, nam quaerit quietationem in visione; quia visio est bonum et finis eius. Hinc visio est causa, non medium; quietatio est effectus, non finis. Hinc delectatio pertinet ad essentiam *physicam* beatitudinis; essentia vero *metaphysica* est in visione.*

Delectatio supponit comprehensionem, quae scil. importat praesentiam finis seu habitudinem ad finem iam obtentum, ita ut iam non quaeratur; secus enim delectatio, quae est quies in bono obtento, non daretur.

II. RECTITUDO VOLUNTATIS *requiritur ad beatitudinem tam antecedenter quam concomitanter.*³⁾ *Antecedenter* quia dat debitum ordinem ad finem seu debitam dispositionem eorum quae sunt ad finem, sicut materia debet esse bene disposita ad formam suscipiendam.⁴⁾ *Concomitanter*, quia finis ultimus est in visione divinae essentiae; hinc voluntas necessario omnia alia amat in ordine ad Deum, sicut ille qui non videt essentiam divinam, necessario omnia amat sub ratione communi boni. Hinc in beatis adest impeccabilitas.⁵⁾

III. CORPUS a) *requiritur ad beatitudinem imperfectam huius vitae; b) ad perfectam vero beatitudinem requiritur, non ad essentiam eius, sed c) solummodo ad integritatem; d) aliqua etiam PERFECTIO corporis requiritur ad beatitudinem imperfectam huius vitae; e) ad beatitudinem vero perfectam perfectio corporis pertinet solummodo antecedenter et consequenter.*⁶⁾ Probatur: a) quia corpus est organum animae; b) quia animae etiam separatae iam vident Deum et quia Dei visio natura sua est sine phantasmate; c) pertinet enim ad perfectionem animae habere corpus; sed anima tanto perfectius habebit suam propriam operationem in qua est fe-

¹⁾ Infra n. 14 dicitur, *in hac vita non posse haberi beatitudinem perfectam, sed tantum quamdam imperfectam beatitudinis participationem; etiam de requisitis ad hanc beatitudinem imperfectam hic quaeritur.*

²⁾ 1. 2. qu. 4. a. 1-3.

³⁾ 1. 2. qu. 4. a. 5.

⁴⁾ Cfr. infra n. 15.

⁵⁾ Perfectio vitae christianae in statu vitae simpliciter attenditur secundum *caritatem*, secundum quid, secundum alias virtutes. Cfr. 2. 2. qu. 184. a. 1; 1. qu. 82. a. 3. Cfr. Garrigou-Lagrangé, *Perfection chrétienne et contemplation*, p. 164 seqq.

⁶⁾ 1. 2. qu. 4. a. 5-6.

licitas, quanto perfectior erit in natura sua; d) quia beatitudo huius vitae consistit in operatione virtutis quae ob invaletudinem corporis impediri potest; e) pertinet ad eam *antecedenter* ne aggravet animam et impediatur visionem Dei; hinc beati habebunt « corpus spiritale » (1 Cor. 15, 44); *consequenter*, quatenus per redundantiam corpus recipit maiorem perfectionem.

IV. EXTERNA BONA a) *requiruntur ad beatitudinem imperfectam huius vitae non de essentia, sed instrumentaliter*; b) *ad beatitudinem perfectam nullo modo requiruntur.*¹⁾ Probatur a) quia homo in hac vita iis indiget pro necessaria sustentatione, in vita tam contemplativa quam activa; probatur b) quia aut anima erit adhuc sine corpore, aut corpus iam erit spirituale.

V. SOCIETAS AMICORUM a) *ad felicitatem huius vitae requiritur*; b) *ad beatitudinem perfectam in patria non requiritur de necessitate, sed facit ad bene esse.*²⁾ Probatur: a) requiritur non ob utilitatem nec ob delectationem, sed ob bonam operationem 1° ut homo eis beneficiat; 2° ut videndo eos benefacere delectetur; 3° ut ab eis in benefaciendo iuvetur. b) Non requiritur ad essentiam quia homo habet totam plenitudinem suae perfectionis in Deo; sed potest aliquid facere ad bene esse quatenus beati se invicem vident et de sua societate gaudent.³⁾

CAPUT IV.

DE DEO UT EST FINIS ULTIMUS HUMANAE VITAE

10. — Praenotanda. 1° Ex supra dictis constat, DEUM esse obiectum in quo invenitur beatitudo humana, seu Deum esse finem ultimum humanae vitae. Nunc autem accuratius restat determinandum, *quomodo* Deus sit ultimus finis, et quomodo homo suo primo principio et ultimo fini adhaerere debeat. *Ex habitudine enim ad ipsum Deum* tamquam finem ultimum supernaturalem tota actio moralis diiudicari a Theologo debet.⁴⁾

2° Amor dividitur in amorem concupiscentiae, erga bonum quod volumus alicui, et amorem benevolentiae, erga eum cui bonum volumus.⁵⁾ *Beatitudo* (formalis) est finis ultimus amandus amore concupiscentiae, est ultimum concupitum. Hinc etiam *Deus* ut obiectum beatificans amatur amore concupiscentiae. Sed beatitudinem *nobis* concupiscimus. Quaestio autem est, *utrum ulterius nos ipsos et beatitudinem nostram in Deum referre debeamus.*⁶⁾ Nam non necessario

¹⁾ 1. 2. qu. 4. a. 7.

²⁾ 1. 2. qu. 4. a. 8; cfr. P. Philippe O. P. *Le rôle de l'amitié dans la vie chrétienne selon S. Th. d'Ag.* Rome. 1938.

³⁾ Hic conferri debent ea quae postea de caritate erga Deum et proximum in ordine ad perfectionem vitae humanae dicuntur: caritas enim est amicitia quaedam. Unde etiam caelestis vita beatorum essentialiter est socialis « ut sint unum sicut et nos unum sumus » (Jo. 17. 22).

⁴⁾ Cfr. *C. Gent.* 2. c. 4.

⁵⁾ 1. 2. qu. 26. a. 4.

⁶⁾ 4 Sent. dist. 49. qu. 1. a. 1. q1a 1. ad 3.

omne quod amamus amore concupiscentiae, referimus ad nos sicut in finem,¹⁾ quia aliud est aliquid concupiscere *mihī*, aliud est aliquid concupiscere *propter me*.²⁾

3^o Est aliquis finis qui primum quidem est in causando, *non* autem in essendo; et est alius finis qui sicut in causando, ita et *in essendo praecedit*. Primus finis est finis sed *non* agens, secundus finis est finis *et* agens. Primus finis *constituitur* ipsa actione agentis, dependet in esse a re quae est ad finem. Ita sanitas est finis operationis medicinae (finis interior). Secundus finis intenditur *acquiri* ab eo qui est ad finem, non dependet in esse ab eo. Ita forma generantis est finis generationis³⁾ (finis exterior). Primus finis recipitur in agente tamquam perfectio *inhaerens*, et non amatur supra eum qui est ad finem, sed qui est ad finem magis amat *se* esse sub tali perfectione, quam *se* esse simpliciter. Secundus est finis *per se subsistens*, qui quidem desideratur acquiri, sed amatur *supra* id quod acquisitum est ab illo.⁴⁾

11. — Principia. I. *Finis ultimus rerum omnium est* IPSA BONITAS DIVINA.⁵⁾ Probatur 1^o ex parte RERUM tendentium in finem: a) quia omne bonum imperfectum est bonum per participationem, quod non habet ex se quod sit bonum et *finis*, sed solum ex hoc, quod ad ulterius bonum tamquam finem ordinatur, et tandem ad aliquid quod est per essentiam Bonum.⁶⁾ b) Quia intantum unumquodque perfectum est inquantum in suum redit *principium*; perfectio enim effectus est quaedam similitudo agentis, cum omne agens agat sibi simile. Deus autem est primum rerum principium, unde omnia tendunt in Ipsum tamquam in eorum bonum.⁷⁾ Probatur 2^o ex parte DEI ordinantis ad finem: a) quia DEUS, utpote *bonitas subsistens* et maximum in genere boni, est causa bonitatis in omnibus bonis. Ergo est finis cuiuslibet finis.⁸⁾ Quia, cum ordo finium sit secundum ordinem agentium, finis primi agentis est finis ultimus rerum. Sed finis Dei, qui utpote *primum movens* a nullo alio movetur, nihil potest esse nisi ipsa sua Bonitas.⁹⁾ Unde dicitur Rom. XI. 36: «Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula. Amen».

II. *Deus est finis rerum, non sicut aliquid a rebus constitutum nec ita quod aliquid ei a rebus acquiratur, sed hoc solum modo, quia* IPSE REBUS

¹⁾ Cfr. Capreolum in 3. *dist.* 27. *ed.* 1900. *vol.* 5. *p.* 373; cfr. *vol.* 3. *p.* 456. Ita v. g. amicus amicum diligit etiam amore concupiscentiae, inquantum vult frui eius praesentia, et tamen non refert amicum ad se sicut ad finem.

²⁾ Cfr. Cajetanum in 2. 2. *qu.* 17. *a.* 5.

³⁾ Arist. 2. *Phys.* 7. 3; 198 *b*; cfr. *C. Gent.* 3. *c.* 16.

⁴⁾ Pro illa distinctione cfr. 2 *Sent. dist.* 1. *qu.* 2. *a.* 2 *c.*; *ib. dist.* 3. *qu.* 3. ad 2 et 4; *ib. dist.* 38. *qu.* 1. *a.* 1 et 2; 4 *Sent. dist.* 49. *qu.* 1. *a.* *qla* 2. *c.*; *qla* 3. *c.*; *ib. a.* 2. *qla* 1. *c.*; *qla* 2. *c.*; *C. Gent.* 3. *c.* 18; 1. *qu.* 25. *a.* 5; *qu.* 103. *a.* 2. *qu.* 2. *a.* 8 ad 3.

⁵⁾ *C. Gent.* 3. *c.* 17.

⁶⁾ 1 *Eth.* 1. 1. *n.* 11; *C. Gent.* 1. *c.* 38. 40; 1. *qu.* 103. *a.* 3.

⁷⁾ *Div. Nomin.* 1. 1. *lect.* 3 etc.; *C. Gent.* 2. *c.* 46; 1. *qu.* 6. *a.* 1; *qu.* 12. *a.* 1.

⁸⁾ *C. Gent.* 1. *c.* 37-41; *ib.* 3. *c.* 17; 1. *qu.* 6. *a.* 4.

⁹⁾ De Malo *qu.* 1. *a.* 1; 3 *Sent. dist.* 23. *qu.* 3. *a.* 1. *qla* 1; De Pot. *qu.* 2. *a.* 3; *C. Gent.* 1. *c.* 73 etc.; *ib.* 3. *c.* 17; De Verit. *qu.* 23. *a.* 1 ad 3; 1. *qu.* 44. *a.* 4; *qu.* 105. *a.* 2 ad 2.

ACQUIRITUR. ¹⁾ Probatur primum quia Deus simul est ultimus finis et primus agens. Unde est finis *praeexistens*, et non dependens ab his quae sunt ad finem. ²⁾ Probatur secundum quia, dum agentia imperfecta in agendo intendunt aliquid acquirere, Deus qui est agens tantum et nullo modo patiens, ³⁾ non agit ex *desiderio finis acquirendi*, ⁴⁾ quia ei quod est essentialiter bonum, non potest fieri aliqua additio bonitatis, sed omnem bonitatem in se comprehendit. ⁵⁾ Probatur tertium quia Deus tantum agere potest ex *amore finis*, sc. propter bonitatem suam non augendam, sed aliis *communicandam* secundum quod possibile est. ⁶⁾ Unde in omnes suae bonitatis participationem diffundit.

III. *Omnes creaturae attingunt Deum tamquam finem per hoc quod participant* SIMILITUDINEM bonitatis eius; et hoc est eorum bonum. ⁷⁾ Ratio est quia Deus est finis impropotionabiliter *excedens*; unde nequit acquiri eius bonitas ut perfectio inhaerens, ⁸⁾ sed solum secundum similitudinis participationem, in quantum perfectio quae per essentiam est in Deo, deficienter est in creaturis. ⁹⁾ Eo ipso autem quod tendunt in divinam similitudinem, tendunt in *proprium* bonum, quia omne bonum est appetibile in quantum est similitudo bonitatis divinae. ¹⁰⁾

IV. *Creatura INTELLECTUALIS consequitur Deum tamquam finem non solum eius similitudinem participando, sed pertingendo ad Eum* IN SEIPSO tamquam obiectum cognoscendum et amandum; ¹¹⁾ immo per gratiam vocatur ut IPSAM DEI ESSENTIAM videat ¹²⁾ et amabiliter Deo convivat; ¹³⁾ haec autem *communicatio vitae divinae est eius beatitudo*. ¹⁴⁾ Primum probatur a) quia unumquodque intelligens coniungitur suo primo principio et ultimo fini modo *intellectuali*, seu per hoc, quod Ipsum intelligit. b) Quia creatura intellectualis maxime *assimilatur* Deo, qui est intellectualis, per hoc, quod Ipsum intelligit. Secundum constat ex *promissione Scripturarum*; vide supra n. 7 ubi de visione beata. Per hanc autem visionem maxime assimilamur Deo: I Jo. III. 2: «Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.» Est autem haec visio *beatitudo* creaturae intellectualis, quia per illam modo nobilissimo suo coniungitur principio, in

¹⁾ C. Gent. 3. c. 18.

²⁾ Cfr. C. Gent. 1. c. 93. § 7. Amplius.

³⁾ 1. qu. 44. a. 4.

⁴⁾ C. Gent. 3. c. 97.

⁵⁾ C. Gent. 1. c. 40. 89; 1. qu. 19. a. 3; qu. 103. a. 3 ad 3.

⁶⁾ 1 Sent. dist. 45. qu. 1. a. 2; 2 Sent. dist. 1. qu. 2. a. 1. c.; 3 Sent. dist. 32. qu. 1. a. 1; De Pot. qu. 3. a. 15 ad 14.

⁷⁾ C. Gent. 3. c. 19 etc.

⁸⁾ Cfr. textus citatos supra not. 4. p. 15.

⁹⁾ Cfr. C. Gent. 1. c. 29; 1. qu. 4. a. 3.

¹⁰⁾ C. Gent. 3. c. 24; 3 Sent. dist. 29. qu. 1. a. 5.

¹¹⁾ C. Gent. 3. c. 25.

¹²⁾ C. Gent. 3. c. 51.

¹³⁾ 3 Sent. dist. 27. qu. 2. a2.,

¹⁴⁾ 1. qu. 26.

quo maxime quiescit desiderium cuiuscumque rei. Super hanc autem communicationem ipsius beatitudinis divinae fundatur AMICITIA ad Deum, quia *una est vita* Dei et suae creaturae. Cfr. infra dicenda de caritate. ¹⁾

12. — **Resolutiones.** 1^o Ergo nulla creatura est sibi finis ultimus, sed ordinatur ad finem ultimum *exteriorem*, propter quem est et agit, et ad quem omnia sunt referenda. 2^o Finis vero ultimus *interior* rerum est perfectio secundum quam suo principio coniunguntur. 3^o Itaque homo et aliae creaturae conveniunt in *re* quae est finis, differunt autem quantum ad *consecutionem* finis. 4^o

2^o Invenitur in rebus *circulatio* quaedam, dum a bono egredientia in bonum tendunt. Haec *circulatio* perficitur tantum in creaturis rationalibus, quae ad ipsum principium pertingere possunt. 5^o Unde creaturae ignobiliores sunt propter nobiliores, et totum universum est propter Deum. 6^o)

3^o Deus est maxime *liberalis*, quia non vult alicui suam bonitatem communicare ad hoc ut sibi exinde aliquid accrescat, sed quia ipsum communicare est sibi conveniens sicuti fonti bonitatis. 7^o) Et revera nos amat amore benevolentiae, volens nobis bonum. 8^o) Imo *idem* est dictu, quod omnia propter seipsum fecit et propter nos. 9^o) Quia secundum quod sumus, Dei sumus.

4^o Ergo unumquodque naturaliter amat bonum proprium *propter* bonum divinum, seu magis amat Deum quam seipsum. 10^o) Sed dum creaturae irrationales *implicitate* tantum Deum amant, in quantum earum bonum est similitudo bonitatis divinae; homo *explicitate* debet Deum amare propter se et super omnia; secus peccat. 11^o)

5^o Ergo *idem est*, hominem tendere in veram suam beatitudinem, et eum tendere in bonum Dei, quia bonum suum est participatio bonitatis divinae. Qui autem vult amare proprium bonum magis quam bonum Dei, revera potius se et bonum suum odio habet.

6^o Bonum itaque Dei diligit homo *in quantum* est sibi bonum seu *conveniens*, non tamen ita quod refert bonum Dei ad se, sed ita quod *refert se in Deum*. 12^o)

7^o Unde *conversio ad Deum* per caritatem est fundamentalis obligatio vitae moralis. 13^o)

1) In hoc tomo n. 338.

2) Comp. Theol. c. 109.

3) 4 Sent. dist. 49. qu. 1. a. 2. qua 2.

4) 1. 2. qu. 1. a. 8.

5) 4 Sent. dist. 49. qu. 1. a. 3. qua 1.

6) 1. qu. 65. a. 2.

7) C. Gent. 1. c. 93; 1. 2. qu. 114. a. 1 ad 2.

8) C. Gent. 1. c. 91.

9) De Pot. qu. a. 4.

10) 1. qu. 60. a. 5; 1. 2. qu. 109. a. 3.

11) De Ver. qu. 22. a. 2.

12) 2 Sent. dist. 42. qu. 2. a. 2. qua 2 ad 3; 2. 2. qu. 26. a. 3 ad 2.

13) Cfr. 1. 2. qu. 89. a. 6.

SCHOLIUM

De gloria Dei, ut est finis ultimus humanae vitae.

13. — Dicit S. Thomas 1. *qu.* 65. *a.* 2 *c.*: « Universum ordinatur in Deum, inquantum in eo per quamdam imitationem *divina bonitas repraesentatur AD GLORIAM DEI.* »¹⁾ Dei gloriam esse finem creationis, praesertim inde a saeculo XVI magis explicite proponitur;²⁾ cfr. Conc. Vatic. *sess.* 3. *can.* 5: « Si quis mundum ad gloriam Dei conditum esse negaverit, a. s. » (Denzinger, *n.* 1805).

Gloria in genere est aut obiectiva aut formalis. Gloria *obiectiva* consistit in qualicumque excellentia alicuius obiecti, sive personae, sive rei; dicitur etiam fundamentalis, quia est fundamentum gloriae seu glorificationis proprie dictae seu formalis. Porro, gloria *formalis* est testimonium exhibitum de excellentia alterius, agnoscendo, laudando, amando illius bonitatem. Hinc a S. Augustino³⁾ cum Tullio definitur: « clara cum laude notitia ». Est enim manifestatio excellentiae alterius per laudem facta, ex qua cognitio seu notitia excellentiae etiam in aliis oritur.⁴⁾

Gloria Dei est sive interna sive externa, utraque autem sive obiectiva sive formalis. Gloria Dei *interna* est gloria essentiae divinae propria; fundamentalis est ipsa excellentia seu perfectio essentiae divinae; formalis est ipsa agnitio et amor et gaudium Dei de suis infinitis perfectionibus. Gloria Dei *externa* est gloria Dei, quatenus in creaturis eius invenitur, seu gloria Dei creaturis suis a Deo communicata; obiectiva est manifestatio bonitatis seu excellentiae divinae in creaturis; formalis est agnitio cum laude excellentiae divinae a parte creaturarum rationalium.

I. Quia, ut supra *n.* 11 dictum est, creaturae finem habent imitari, repraesentare, manifestare bonitatem seu excellentiam divinam, inquantum vestigium (ut creaturae irrationales) vel etiam imaginem (ut creaturae rationales) divinarum perfectionum continent, atque hoc nihil aliud est quam glorificare Deum, omnium creaturarum finis iure dici potest *gloria Dei* eaque *externa* et *obiectiva*.

Hinc S. Paulus ad Rom. I. 20: « Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas »; et Psalmista, in Ps. XVIII, 2: « Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum ». Et apud Isaiam VI. 3 Seraphim clamant: « Plena est omnis terra gloria eius ».

II. Insuper finis creaturae *rationalis* est Deum *formaliter* glorificare, per intellectum et voluntatem. Potest enim excellentiam divinam, prout

¹⁾ Cfr. 1. 2. *qu.* 114. *a.* 1 ad 2.

²⁾ Magnum influxum exercuit L. Lessius S. J. per ea quae anno 1619 Lovanii scripsit in opere: *De perfectionibus moribusque divinis, libro 14: de ultimo fine.*

³⁾ Contra Maximinum, liber 2, caput 13.

⁴⁾ Vide explicationem S. Thomae 2. 2. *qu.* 103. *art.* 1 ad 3. Cfr. 1. 2. *qu.* 2. *art.* 3.

in creaturis resplendet, agnoscere, laudare, amare et gustare. Et sicut gloria obiectiva *ordinatur* ad gloriam formalem, ita creatura irrationalis *ordinatur* ad rationalem.

Notandum tamen est, hominem Deo reddere gloriam formalem, non tantum quando in actu signato gloriam Dei obiectivam ore vel mente agnoscit et laudat, verum etiam quando in actu exercito «ad maiorem Dei gloriam» *vitam* suam iuxta Dei beneplacitum *ordinat*. Imo tota vita virtuosa et in Deum tamquam finem *ordinata* EO IPSO est cultus Deo tributus et glorificatio maiestatis divinae.

III. Tandem, homo elevatus in ordinem *supernaturalem* atque ad eum post lapsum per Christum instauratus etiam in hoc ordine Deo gloriam formalem dare debet de suprema excellentia huius ordinis; — idque per Christum, cum Christo, in Christo: *Per Christum*, ut Summum Sacerdotem seu Mediatorem Novae Legis; *cum Christo* ad imitationem eius qui dixit: «Ego te clarificavi super terram» (Jo. XVII. 4); *in Christo*, i. e. tamquam membrum eius corporis mystici, quod est *Ecclesia*; in unione scilicet cum Christo, capite Ecclesiae, supernaturaliter vivens de gratia eius sibi per Sacramenta communicata. Nam Deus «praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum... in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo» (Eph. I. 5 et 6). Hanc autem laudem gloriae gratiae eius Deo per Christum, cum Christo, in Christo principaliter tribuimus offerendo Sacrificium Missae eique participando. Unde *Canon Missae* perpulchre concludit: Per Ipsum et cum Ipso et in Ipso est Tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, *omnis honor et gloria*.

CAPUT V.

DE CONSECUTIONE FINIS ULTIMI

Agemus: 1° de ipsa consecutione finis ultimi; 2° de iis quibus homo disponitur ad finem ultimum consequendum; 3° de iis quibus homo avertitur a fine ultimo consequendo.

Articulus I.

De ipsa consecutione finis ultimi, seu beatitudinis.

14. — **Principia.** I. *Homo* POTEST *consequi beatitudinem*. 1) Probatur: 1° quia qui capax est perfecti boni, potest ad beatitudinem pervenire. Homo autem est capax perfecti boni, quia eius intellectus potest compre-

1) 1. 2. qu. 5. a. 1.

hendere universale et perfectum bonum, et eius voluntas (consequenter) potest appetere illud. 2^o Quia homo est capax visionis divinae essentiae, ad quam habet naturale desiderium; secus enim « remanebit inane desiderium naturae ». 1)

II. *Beatitudo est* DIVERSA GRADU, ita ut unus homo possit esse alio beatior. 2) Hoc obtinet non a parte obiecti seu finis ultimi *qui*; hic enim est summum Bonum; sed a parte adeptionis seu finis ultimi *quo*: quia unus potest perfectius frui Deo ex eo quod est melius dispositus vel ordinatus ad eius fruitionem.

III. *Perfecta et vera beatitudo* IN HAC VITA HABERI NON POTEST. 3) Probatur 1^o ex communi beatitudinis ratione: beatitudo, cum sit perfectum et sufficiens bonum, omne malum excludit et omne desiderium implet. In hac autem vita non potest *omne malum excludi*, quod provenit ex circumstantiis vitae, ex ignorantia et inordinata affectione ex parte animae, ex multiplicibus poenalitatibus ex parte corporis. Nec potest *omne desiderium impleri*, quia bona praesentis vitae transitoria sunt, quae sicut et vitam perpetuo permanere vellemus, quia homo naturaliter refugit mortem. Probatur 2^o ex beatitudine in individuo: nam est visio divinae essentiae, quae hac in vita haberi non potest. 4)

IV. *Beatitudo imperfecta huius vitae amitti potest, beatitudo vero perfecta amitti nequit seu est perennis.* 5) Probatur primum tum de felicitate *contemplativa* quia amitti potest per oblivionem vel per occupationes abstrahentes; tum de felicitate *activa* quia et *voluntas* virtuosi transmutari potest, et *exteriores* transmutationes possunt beatitudinem non quidem totaliter auferre, sed tamen perturbare inquantum impediunt multas operationes virtutum. Probatur secundum a) ex communi ratione beatitudinis, ut dictum est sub III; b) ex beatitudine in individuo: Visio beatifica nequit amitti a parte *hominis*, quia impossibile est quod videns divinam essentiam velit eam non videre: visio enim animam replet omnibus bonis, cum eam coniungat fonti totius bonitatis. Nequit amitti a parte Dei, esset enim quaedam poena pro culpa, in quam cadere non potest qui Dei essentiam videt. Nequit amitti a parte *tertii*, quia mens Deo coniuncta super omnia alia elevatur.

V. *Homo non potest consequi beatitudinem perfectam per sua naturalia, sed solum per actionem primi agentis, sc. Dei.* 6) Ratio est, quia beatitudo consistit in visione Dei, quae est super naturam omnis creaturae, ut vidimus supra, n. 7 et 8. Hinc homo non potest ultimum suum finem consequi nec

1) Cfr. supra n. 7 et 8.

2) 1. 2. qu. 5. a. 2.

3) 1. 2. qu. 5. a. 3; C. Gent. 3. c. 48.

4) Cfr. 1. qu. 12. a. 11; C. Gent. 3. c. 47.

5) 1. 2. qu. 5. a. 4.

6) 1. 2. qu. 5. a. 5-6; qu. 109. a. 5.

per sua naturalia nec per actionem alicuius creaturae superioris, sed solum per ipsum primum agentem, qui est Deus. ¹⁾ Tale autem auxilium divinum ad beatitudinem consequendam vocatur *gratia*. ²⁾

Articulus II.

De iis quibus homo disponitur ad finem ultimum consequendum.

15. — Principia. I. *Quamquam beatitudo perfecta in hac vita haberi nequit, debet tamen homo SE DISPONERE ad beatitudinem aeternam a Deo consequendam.* Ratio est quia ad beatitudinem antecedenter (ut supra n. 9 vidimus) requiritur rectitudo voluntatis, nihil enim consequitur finem nisi sit debito modo ordinatum ad ipsum. *Praesens autem vita est via seu tendentia ad finem beatitudinis consequendum.*

II. *Dispositio ad salutem debet esse supernaturalis, et consistit in GRATIA CHRISTI SALVATORIS.* Ratio primi patet ex supra dictis, art. princ. V; beatitudo excedit omnem naturam creatam, unde nulla creatura habet proportionem ad illam, sed elevari debet; quae elevatio est gratuitum Dei donum. Per gratiam autem homo disponitur ad Dei visionem, quia gratia tamquam *participatio naturae divinae* est *semen gloriae*. Est autem gratia *Christi*, « non enim est in alio aliquo salus » (Act. IV. 12). Gratiam autem comitantur *fides, spes et caritas*, quibus homo ordinatur in ipsum Deum tamquam finem ultimum. Cfr. verba Scripturae: « Credere oportet accedentem ad Deum » (Hebr. XI. 6): « Per quem (Christum) habemus accessum per fidem in gratia ista in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei... Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis » (Rom. v. 1-5).

III. *Huius autem gratiae adoptionis filiorum homo non redditur particeps nisi per insertionem in CORPUS CHRISTI MYSTICUM, quae est Ecclesia, per susceptionem saltem in voto Baptismi.* Etenim, « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei » (Jo. III. 3-6). ³⁾ Ita Ecclesia est societas salutis consequendae, et nemo finem suum obtinere potest, nisi saltem ad animam Ecclesiae pertineat. Unde S. Cyprianus: « Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem » (M. P. L. 4. 503). Conferas ea quae tom. II. n. 138 dicuntur de necessitate *Eucharistiae* secundum verba Christi: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam » (Jo. VI. 55).

¹⁾ 1. 2. qu. 5. a. 6 ad 1; C. Gent. 3. c. 147; 1. 2. qu. 109. a. 6.

²⁾ C. Gent. 3. c. 147-150.

³⁾ Cfr. dicenda de necessitate Baptismi tom. II. n. 44.

IV. *Pro adultis praeter dispositionem habitualement requiritur ad salutem consequendam dispositio per exercitium virtutum, seu per BONA OPERA, et quidem supernaturalia.*¹⁾ Necessitas actuum seu bonorum operum non est absoluta: posset enim Deus simul facere voluntatem recte tendentem in finem, et finem consequentem; sed est secundum ordinem divinae providentiae.²⁾ Beatitudo enim soli Deo est connaturalis, unde Ipse non movetur ad beatitudinem. Sed nulla creatura convenienter beatitudinem consequitur absque motu operationis, per quam tendit in ipsam: angelus quidem uno motu, homo autem *multis operationum motibus*. Tales actus constituunt *vitam moralem*, et sunt obiectum nostrae disciplinae.³⁾ Ut autem isti actus revera sint salutare, debent esse supernaturales tum ex parte *principii elicitivi* seu causae agentis: « non enim sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est » (II Cor. III. 5.) Et apud Jo. (XV. 4): « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis ». Tum ex parte *motivi dirigentis*: ex motivo sc. fidei: « Justus autem ex fide vivit » (Rom. I. 17).

V. *Actus salutare non sunt factivi finis, sed MERITORII;*⁴⁾ *gratia autem est principium meriti principalius per CARITATEM.*⁵⁾ Operatio enim ad finem ducens est factiva finis, quando finis non excedit virtutem operantis, et meritoria finis, quando finis excedit eius virtutem. Sed beatitudo *excedit naturam*, unde homo accipit a Deo beatitudinem tamquam *mercedem*. Meritum erit aut de congruo aut de condigno, sed hoc ultimum semper praesupponit ordinationem divinam.⁶⁾ Ut autem aliquis actus humanus sit *meritorius de condigno*, iuxta omnes requiritur status gratiae et ut actus ponatur cum gratia actuali. Alii insuper requirunt intentionem seu motivum ad quamvis virtutem supernaturalem pertinens. Iuxta Angelicum vero nullum est meritum de condigno sine ordinatione seu influxu *caritatis*.⁷⁾ Actus enim debet ordinari et proportionari ad finem. Sed sola caritas intrinseca sua ratione attingit *finem ultimum in se*.⁸⁾ Actus autem aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod imperantur

¹⁾ 1. 2. qu. 5. a. 7.

²⁾ Infantibus baptizatis morientibus Deus communicat beatitudinem non tamquam mercedem, sed tamquam hereditatem, propter merita Christi, cuius membra et coheredes facti sunt. Cfr. 1. 2. qu. 5. a. 7 ad 2.

³⁾ Unde dicit S. Thomas in Prologo quaestionis 6: « Quia igitur ad beatitudinem per *actus* necesse est pervenire, oportet consequenter de actibus humanis considerare, ut sciamus quibus actibus perveniatur ad beatitudinem vel impediatur beatitudinis via ».

⁴⁾ 1. qu. 62. a. 4.

⁵⁾ 1. 2. qu. 114. a. 4.

⁶⁾ 1. 2. qu. 114. a. 1.

⁷⁾ Cfr. Van Roey. *De Virtute Charitatis quaestiones selectae*, 1929. Qu. III. *De Charitate radice meriti*. p. 118-270. *Qualis influxus caritatis requiratur, accuratius determinabitur in tractatu de caritate, infra n. 340.*

⁸⁾ 2. 2. qu. 23. a. 4 ad 6; qu. 24. a. 1 ad 3; a. 10; etc.

a caritate. Unde caritas iure vocatur « forma virtutum », et est principium omnium bonorum operum quae in finem ultimum ordinari possunt. ¹⁾

Ea quae in hoc articulo breviter tetigimus, ulterius explicabuntur in decursu Moralis, praesertim in tractatu de actibus humanis moraliter consideratis ²⁾ et in tractatu de caritate. ³⁾ Insuper hic praesupponuntur ea quae in Theologia Dogmatica docentur de ordine supernaturali et de gratia. ⁴⁾

Articulus III.

De iis quibus homo avertitur a fine ultimo consequendo.

16. — Sicut homo disponitur ad finem ultimum verum qui est Deus, per actus salutares virtutum, ita ab eo avertitur per peccatum, et quidem per peccatum mortale. Deordinatio autem non circa finem ultimum, sed circa ea quae sunt ad finem, constituit peccatum veniale. De quibus confer tractatum de peccatis. ⁵⁾ Hic tantum quaerimus, *quem finem ergo ultimum intendat peccator, et quomodo se habeat ad finem suum ultimum verum.* Primo loquimur de fidelibus, dein de infidelibus.

1° PECCANDO MORTALITER, homo refert suum actum peccati mortalis actualiter vel virtualiter in aliquem finem ultimum *falsum*, id est in aliquam creaturam. Disputatur autem, quo sensu hoc sit intelligendum. Vasquez ⁶⁾ ponit finem ultimum peccatoris in obiecto cuiuslibet actus peccaminosi qui committitur, atque docet hoc obiectum constituere finem ultimum *negativum*. ⁷⁾ Sed non placet, quia talis finis nomine tenus tantum est ultimus, et necessario semper intenditur finis ultimus positivus. Hinc alii cum Jo. a S. Thoma ⁸⁾ ponunt finem peccatoris in « *bono proprio seu convenientia propria, quatenus est appetibilis iuxta modum propriae et non divinae voluntatis* », et quidem per modum finis ultimi *positivi*, ita ut peccator omnia huic subordinet, stante influxu huius finis. ⁹⁾

2° IUSTUS VENIALITER PECCANS *habitualiter* manet intentus in finem ultimum *verum*. Quoad ipsum autem actum peccandi disputatur. Aliqui dicunt eum intendere finem ultimum *falsum*, sc. creaturam inordinate dilectam, sed solummodo *inefficaciter et secundum quid*, id est se-

¹⁾ 1. 2. qu. 65. a. 3: 2. 2. qu. 23. a. 8.

²⁾ Cfr. in hoc tomo n. 49-51, praesertim n. 51, ubi de ordinatione actuum ad Deum, ad hoc ut sint simpliciter boni.

³⁾ Cfr. in hoc tomo n. 338-341, praesertim n. 340, ubi de ordinatione actuum ad Deum, ad hoc ut sint meritorii vitae aeternae.

⁴⁾ Conferatur M. J. Scheeben. *Natur und Gnade*, qui totam activitatem moralem sub aspectu vocationis supernaturalis ad filiationem divinam considerat.

⁵⁾ In hoc tomo, praesertim n. 233.

⁶⁾ In 1. 2. qu. 1. a. 5. disp. 5. c. 1.

⁷⁾ Cfr. supra n. 4. II.

⁸⁾ *De fine ult. qu. 1. disp. 1. art. 1. n. 13; cfr. art. 7.*

⁹⁾ Cfr. Gredt. II. n. 896.

cundum hunc actum. Ita dicunt quia iuxta eos homo in omni actu suo semper intendit aliquem finem ultimum etiam in concreto seu materialiter sumptum, nec potest moveri sola beatitudine in abstracto. Si autem non intendit finem ultimum verum, intendit falsum, sed ineffaciter et secundum quid: quia habitualiter manet directus in finem ultimum verum. Ita Jo. a S. Thoma, ¹⁾ Gredt. ²⁾ Alii dicunt venialiter peccantem intendere *beatitudinem* non quidem in abstracto sed *in communi*, idest *in confuso* conceptam; ³⁾ quia peccatum veniale non est contra, sed solummodo *praeter* ordinem ad finem ultimum verum. ⁴⁾ Ita Billuart, ⁵⁾ Pègues, ⁶⁾ Garrigou-Lagrange. ⁷⁾

3^o FIDELIS IN STATU PECCATI MORTALIS, quando committit PECCATUM VENIALE, hoc peccato qua tali aut tantum ineffaciter et secundum quid ad finem ultimum falsum directus est, aut solummodo ad beatitudinem in communi, prout supra de iusto venialiter peccante diximus.

4^o FIDELIS IN STATU PECCATI MORTALIS, sed HONESTE AGENS, *habitualmente* quidem intendit finem ultimum *falsum*. Sed actualiter vel virtualiter, sed ineffaciter et secundum quid tendit in finem ultimum *verum*, ⁸⁾ vel ut alii volunt (v. g. Billuart l. c.) in finem ultimum *in communi* sumptum. Haec ultima sententia praeplacet.

5^o Tandem INFIDELIS, si VENIALITER VEL MORTALITER PECCET, eodem modo ac fidelis iudicandus erit; pari modo si HONESTE AGAT. Idque etiam verum est, si falsos deos admittat vel nullum Deum se admittere dicat. Hoc enim non obstante sufficienter cognoscit Deum, ut honeste agere possit. *Cognoscit Deum* modo elementari et confuso et *implicito*, uti patet ex ipsa voluntate honeste, id est connaturaliter agendi. ⁹⁾ Hoc sufficere multo magis patet si admittatur infidelem honeste agentem solam beatitudinem in communi tamquam finem ultimum intendere.

¹⁾ Ibidem n. 31-32.

²⁾ Gredt. II. 898.

³⁾ Cfr. supra n. 4. III.

⁴⁾ Cfr. 1. 2. qu. 88. a. 1-2.

⁵⁾ *De fine ult. diss.* 1. art. 5.

⁶⁾ *Somme théol.* 1. 2. qu. 1. a. 6.

⁷⁾ *Revue thomiste* 1924, p. 314.

⁸⁾ Disputatur utrum in casu sit finis ultimus supernaturalis, si non agatur de actu fidei vel opere difficiliore cum gratia actuali posito. Juxta Ripalda in omni actu honesto gratia elevans interveniret quia de facto non daretur nisi finis ultimus supernaturalis (*de Ente supernat. disp.* 20). Cfr. et Mannens. *Dogm.* III. n. 94; Herrmann, *de Gratia*, n. 141. 168. Idem asserit Ripalda de opere honesto infidelis. Contra Ripalda vide Schiffini, *de Gratia*, n. 371.

⁹⁾ Cfr. 1. qu. 2. a. 1 ad 1; *C. Gent.* 3. c. 38.

CAPUT VI.

DE ERRONEIS
CIRCA FINEM VITAE HUMANAE DOCTRINIS

17. — Doctrina in superioribus secundum fidem catholicam et theologiam S. Thomae exposita, finem humanae vitae ponit in ipso Deo, quem post hanc vitam in *visione et amore* assequemur, in quibus perfecta nostra BEATITUDO existit. Praesens autem vita est VIA in qua per fidem spem caritatem et virtutes morales in hunc finem tendimus. Doctrina haec fere communis est inter catholicos, disputatur tantum an essentia beatitudinis potius consistat in sola visione (S. Thomas) an in amore (Scotus) an in utroque simul (S. Albertus, S. Bonaventura).¹⁾ Valor et praestantia huius doctrinae clarius apparent quando comparatur cum falsis systematibus, quae in historia philosophiae et in ethica naturali exponuntur. Hic tantum paucis verbis praecipuas horum nobiscum discrepantias annotamus.

1° Per hoc, quod aliquod obiectum tamquam finem assequendum proponimus, systema differt ab ethica mere FORMALI, ut est illa *Kantii* de puro imperativo categorico. Ponitur enim OBIECTIVA quaedam scala valorum, secundum *appropinquationem* ad bonum seu valorem *absolutum*, sc. Deum.

2° Per hoc, quod tamquam finis ponitur aliquod bonum, opponitur PESSIMISMO antiquorum vel modernorum, ut *Buddhismo*, doctrinae *Schopenhauer* et *Ed. von Hartmann*, secundum quos redemptio a miseriis per existentiae extinctionem esset finis.

3° Per hoc quod ipse Deus ponitur tamquam principium, finis et norma moralitatis, ethica fit *religiosa*, et opponitur morali sic dicto « AUTONOMO » vel laicali, uti viguit tempore liberalismi, et in genere omni systemati quod ultimum finem ponit in aliquo bono vitae *praesentis*, et ordinem ad finem *trascendentem negat*. Ita secundum *Aristippum* summum bonum est voluptas corporis praesens, secundum *Epicurum* voluptas ininterrupta, ratione moderata (HEDONISMUS). Secundum STOICOS beatus est, qui spreto omni alio bono, virtute contentus est. Secundum PERIPATETICOS beatitudo consistit in perfectissima hominis operatione, sc. in contemplatione mentis. Theoriae modernae sunt magis *altruisticae*. Ita secundum *Comte* pro aliis vivere est suprema lex. Systema, quod finem ponit

¹⁾ Vide supra, n. 7 et 9.

maximam felicitatem maximi numeri hominum (UTILITARISMUS SOCIALIS) exponitur a *Stuart Mill*, *Lotze*, *Paulsen*. *Spencer* EVOLUTIONISMUM materialisticum ethicae applicat: egoismus per adaptationem progressivam mediante sympathia se conciliabit cum altruismo, ita ut actio utilis societati erit maxime iucunda. Dein *Schleiermacher* et *Wundt* finem ponunt perpetuum PROGRESSUM humanitatis in CULTURA. Quousque ducat talis restrictio ad vitam praesentem, videri potest in *Nietzsche*, secundum quem omnia licent, dummodo creentur *homines superiores*, voluntate sua ceteros dominantes. Cum qua doctrina cohaerere videntur novissima systemata NATIONALISTICA et RACISTICA, quae tamquam finem vitae, regulam moralitatis et summum bonum consequendum considerant vel *imperium* alicuius *populi aut civitatis* vocatae ad ceteros dominandos, vel *vigorem stirpis et puritatem sanguinis*, omnibus mediis obtinendam. Quidquid ad hunc finem ducit, eo ipso honestum esse ponitur.

4° Per hoc quod Deus transcendens et praeevens ponitur tamquam finis assequendus, non realizandus, doctrina catholica opponitur systematibus PANTHEISTICIS et evolutionisticis, qui Deum realizari autumant activitate humana, in Statu (*Hegel*) vel in aliquo populo vel stirpe (*Socialismus nationalis*.)

5° Per hoc quod beatitudo ponitur tamquam gratuitum Dei donum, excedens naturam creatam, moralis doctrina est *supernaturalis*, et opponitur omnibus doctrinis quantumvis elatis, quae intra limites rationis pure naturalis tenent desideria humanitatis. Ita *Plato* et *Neoplatonici* finem quidem ponunt appropinquare Deo, sed non per fidem et caritatem. *Aristoteles* perspexit, finem esse contemplationem divinitatis, sed praeterquam quod se limitat ad beatitudinem imperfectam huius vitae, quam multi adipisci nequeunt,¹⁾ non satis ponit Deum tamquam finem hominem transcendentem, quem super omnia amare et ad quem omnia referre debet.

6° Denique coniunctio cum Deo ponitur consistere in activitate, contra tendentias QUIETISTARUM et eorum qui unionem substantialem cum Deo possibilem reputant.

¹⁾ Cfr. S. Thomam 4 Sent. dist. 49. qu. 1. q1a 4; C. Gent. 3. c. 48.

TRACTATUS II.

DE ACTIBUS HUMANIS

S. Alf. lib. 5. tract. praeamb. H. A. tr. 3.

Dicemus: 1° de natura actuum humanorum in genere, 2° de actibus humanis psychologicae consideratis, 3° de actibus humanis moraliter consideratis.

CAPUT I.

DE NATURA ACTUS HUMANI IN GENERE

18. — **Notio.** Actus humanus est actus, qui ex deliberata seu libera hominis voluntate procedit.

Rectitudo definitionis actus humani probatur a S. Thoma hoc modo: «actionum quae ab homine aguntur, illae solae proprie dicuntur *humanae*, quae sunt propriae homini in quantum est homo: differt autem homo ab irrationalibus creaturis in hoc quod est suorum actuum dominus: unde illae solae actiones vocantur proprie humanae, quarum homo est dominus; est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem; unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis; illae ergo actiones proprie humanae dicuntur, quae ex voluntate deliberata procedunt». (1. 2. qu. 1. a. 1.)

Ab actu humano distinguitur actus *hominis*; actus hominis enim est actus qui procedit ex solo impetu naturae, sine ulla deliberatione; quare dicitur quoque actus naturalis. Huiusmodi sunt motus primo-primi, actus hominis penitus distracti aut rationis usu quomocumque destituti. (n. 1 et 2.)

19. — **Divisio.** Actus humanus distinguitur in actum *elicatum*, qui immediate procedit ab ipsa voluntate, et actum *imperatum*, qui ex voluntatis imperio ab aliis potentiis elicatur. Actus eliciti secundum S. Thomam sunt vel circa finem: *velle, frui, intendere*; vel circa media: *eligere, consentire, uti*. Imperari autem possunt tum ipsi actus voluntatis, quando sc. homo se movet de fine ad media; tum actus intellectus, quoad exercitium; tum, quamquam non despotice sed politice tantum, actus vitae sensitivae, v. g. phantasiae, concupiscibilis vel irascibilis; tam actus potentiae motricis et mediante illa aliquo modo actus sensuum externorum.

Quia autem diversis actibus a voluntate elicitis praecedunt diversi actus *cognitionis*, sequenti modo diversa stadia actus humani completi ad mentem S. Thomae describi possunt:

1° Homo apprehendit aliquid tamquam bonum (apprehensio boni) (*qu. 9. a. 1.*)

2° Hoc bonum ei placet (amor boni seu simplex volitio) (*qu. 8.*)

3° Iudicat bonum tamquam finem sibi convenientem et terminum operando per media assequendum (iudicium circa finem).

4° Vult efficaciter tendere in finem mediante operatione (intentio finis) (*qu. 12.*)

Haec omnia sunt circa finem; simplex volitio est actus affectivus circa finem, intentio est actus effectivus circa finem.

5° Dein incipit inquirere de mediis: quatenus media ducant ad finem (consilium) (*qu. 14.*)

6° Media ab intellectu proposita placent (consensus) (*qu. 15.*)

7° Continuat consilium, si sunt plura media apta, et iudicat hoc medium esse, omnibus visis, hic et nunc aptius ad finem (ultimum iudicium practicum). (Cfr. *qu. 13 et 14.*)

8° Eligit medium ab intellectu prae ceteris propositum (electio) (*qu. 13.*)

Haec omnia sunt circa media; consensus est actus affectivus, electio est actus effectivus circa media; si unum tantum medium consiliando invenitur, statim absque ulteriori inquisitione a consensu transitur ad electionem huius medii.

9° Dein transiens ad executionem eius quod elegerat, imperat facultatibus seu ordinat eas ad agendum (imperium) (*qu. 17.*)

10° Voluntas applicat facultates ad eorum operationes (usus activus) (*qu. 16.*)

11° Ipsae facultates exsequuntur id quod erat imperatum (usus passivus) (*qu. 16.*)

12° Tandem, obtento fine per ultimam operationem, et cognita hac finis possessione, actus humanus perfectus per delectationem seu gaudium completur: quies in bono possesso (fruitio) (*qu. 11.*)

Haec omnia sunt in ordine executionis, et quidem imperium et usus circa media, fruitio circa finem. Imperium secundum S. Thomam est actus rationis ordinantis, praesupposito tamen actu voluntatis moventis (electio); secundum Suarez est actus voluntatis. Fruitio est actus voluntatis quia est quies in bono possesso; sed aliquando ex usu loquendi etiam ipsa adeptio finis vocatur fruitio, quando v. g. ipsa visio vocatur fruitio Dei (1. 2. *qu. 11. a. 3 ad 3 etc.*).

Hi actus non semper hoc distincto modo quo descripsimus explicite et psychologicè in omni actu humano adsunt, sed semper implicantur. Insuper intellectus et voluntas possunt super se reflecti, unde inter duos actus subsequentes intervenire possunt alii actus, ut novum consilium etc. Et in genere omnem actum partialem aliqua imperfecta fruitio comitatur. His prae oculis habitis, sequens schema proponi potest:¹⁾

¹⁾ Cfr. Gardell. *Dict. théol. cath. art. Acte humain*; *Rev. Thom.* 1897. p. 688; *La Crédibilité et l'Apologétique*, 1928, p. 50; Beaudouin, *De Conscientia*, 1911, p. 6; Lehu. *Phil. mor.* 1. p. 61.

*Intellectus**Voluntas***Ordo intentionis.**

CIRCA FINEM

Apprehensio boni.
Iudicium circa finem.

Simplex volitio boni.
Intentio finis.

CIRCA MEDIA.

Consilium de mediis.
Ultimum iudicium practicum.

Consensus in media.
Electio medii.

Ordo exsecutionis.

CIRCA MEDIA.

Imperium intellectus.

Usus activus.

In facultatibus: usus passivus.

CIRCA FINEM

Fruitio.

20. — **Principium.** *Omnis et solus actus humanus est MORALIS.* Actus enim moralis est actus mensuratus regula morum, regula sc. dirigente actum in finem ultimum humanae vitae. Regulae morum autem subduntur omnes et soli actus qui ex libera hominis voluntate procedunt, seu actus humani.

Unde actus humanus, qui iam dicitur *liber* inquantum procedit a libera voluntate, et *imputabilis* inquantum homini tamquam auctori et domino tribui potest, dicitur *moralis*, inquantum mensuratur regula morum. Sunt diversi aspectus *unius actus*.

Actus moralis dicitur bonus, si regulae morum est consentaneus; *malus*, si a regula morum dissentaneus est; *indifferens*, si regulae morum neque conformis est neque repugnat. Bonus est vel *naturalis*, qui solis naturae viribus produci potest, ut eleemosyna ex naturali misericordia; vel *supernaturalis*, qui nonnisi gratiae auxilio elici potest, ut actus virtutum theologiarum. *Supernaturalis* porro ratione meriti vel est *meritorius de condigno*, cui ex iustitia merces debetur; vel *de congruo*, qui ex mera decentia ac benignitate Dei mercede dignus est. (n. 4.)

CAPUT II.

DE ACTIBUS HUMANIS PSYCHOLOGICE CONSIDERATIS

Quia actus humani regulae morum subiiciuntur, quatenus ex *voluntate* eaque *deliberata* procedunt, *voluntarium* in genere et *liberum* in specie sunt fundamentum moralitatis. Unde priusquam de moralitate actuum humanorum disseramus, psychologicae de ipsis tractandum est, et quidem 1° de *voluntario* in genere; 2° de specie voluntarii quae vocatur *liberum*; atque, quo magis eorum natura elucescat; 3° de horum opposito, de *involuntario* seu alteratione voluntarii eiusque causis.

Articulus I.

De voluntario in genere.

Dicemus prius de voluntarii notione et divisionibus in genere; dein, ob peculiarem difficultatem, de voluntario *in causa* in specie.

§ I. - VOLUNTARII NOTIO ET DIVISIONES.

21. — **Notio.** Voluntarium definiri solet: *quidquid procedit a principio intrinseco cum cognitione finis.*

Dicitur: *quidquid procedit*; sive id quod procedit sit voluntatis actus, elicitus vel imperatus, sive omissio talis actus. Imo, ab actu vel omissione voluntaria etiam *effectus* actus vel omissionis denominatur voluntarius, modo sufficienter, iuxta infra dicenda, in se vel in causa sua volitus sit. *Obiectum* vero actus *quale* est quidem volitum, non vero voluntarium, nisi quatenus forte ab ipso agente efficitur et sic rationem effectus induit. Sic pluvia agricolae potest esse volita et non voluntaria; messis vero tum volita, tum voluntaria.

Hinc voluntaria dicitur tum volitio incendii, tum motio membrorum externorum incendium procurantium, tum ipsum incendium. Pari modo volitio non extinguendi incendium est voluntaria; quandonam autem effectus inde sequens vel etiam omissio ipsius volitionis extinguendi censenda sit voluntaria, infra perpendetur.

Dicitur: *a principio intrinseco*; idest ab appetitu sive sensitivo sive rationali seu voluntate. Non ergo potest esse voluntarium quod procedit a principio *extrinseco*; sed eo in casu, si *contra* inclinationem procedit, habetur vel *violentum*, si procedit contra inclinationem naturae inanimatae, ut cum lapis movetur sursum: vel *coactum* (quod aliquando et *violentum* dicitur), si procedit contra entis animati inclinationem, ut cum homo invitus trahitur ad carcerem; secus habetur vel *artefactum* vel *permissum*, prout de ente inanimato vel animato agitur.

Dicitur: *cum cognitione finis*; potest enim aliquid procedere a principio intrinseco aut sine ulla cognitione finis a parte principii istius, et tunc habetur *naturale*, ut cum lapis cadit deorsum: aut cum cognitione finis, et tunc habetur *voluntarium*. Voluntarium adhuc duplex est prout procedit sive cum cognitione finis *materiali* tantum, ut in brutis obtinet: sive cum cognitione finis etiam *formali* i. e. cum cognitione *rationis* finis et *proportionis* mediorum, ut in homine; hoc ubi versatur circa bona particularia est *liberum*. Hodie multi ultimum tantum, quod scilicet cum cognitione formali procedit, vocant voluntarium, dum primum *spontaneum* dicunt; nos antiquam terminologiam secuti sumus. Cfr. 1. 2. qu. 6. a. 1. (n. 6.)

22. — **Divisio.** Voluntarium dividi potest aut a parte cognitionis finis, aut a parte principii intrinseco, aut a parte modi procedendi a principio intrinseco.

1^o A parte COGNITIONIS FINIS voluntarium dividitur: a) in voluntarium *perfectum* vel *imperfectum*, prout ex principio intrinseco procedit cum cognitione *formali* vel sine ea, id est, sine cognitione rationis finis et proportionis eorum quae sunt ad finem.

Voluntarium *imperfectum* hoc sensu sumptum invenitur, praeterquam in brutis, ¹⁾ in perfecte amentibus et dormientibus iisque similibus atque in hominis motibus primo-primis, i. e. in illis motibus qui omnem cognitionem formalem antevertunt. Ratione defectus cognitionis formalis est semper *necessarium*, cum in cognitione materiali *deliberandi* potestas deficiat. A modernis non solet vocari voluntarium sed spontaneum, ut iam monuimus.

b) Voluntarium *perfectum* dividitur in voluntarium *necessarium* et voluntarium *liberum*, prout sine libertate vel cum ea a voluntate procedit.

Voluntarium *perfectum* et tamen *necessarium* haberi tantum potest circa illud obiectum, quod natura sua natum est plene satiare appetitum voluntatis atque ut sic percipitur. Ideo beati cum amore necessario prosequuntur Deum clare visum. Hoc voluntarium est necessarium ratione perfectionis actus. Voluntarium *liberum* habetur, quoties appetitus versatur circa obiecta apprehensa ut limitata vel limitate proposita; quia eo in casu voluntas movere potest intellectum ad deliberandum de ipsorum appetibilitate. (n. 9.)

c) Voluntarium *liberum* dividitur in voluntarium *perfecte* aut *imperfecte* liberum, prout procedit ex deliberatione perfecta aut imperfecta; voluntarium *perfecte liberum* (quod a modernis voluntarium *perfectum* vocari solet) habetur quando homo ob plenam advertentiam *perfecte* est dominus actionum suarum; voluntarium *imperfecte liberum* (quod hodie dici solet voluntarium *imperfectum*) habetur, quando homo ob semipleenam advertentiam *imperfecte* tantum est dominus actionum suarum.

Hoc ultimum obtinet v. g. in semisomnis et in motibus semi-deliberatis seu secundo-primis, quales saepe fiunt in homine passione commoto. — Voluntarium

¹⁾ Cfr. 1. 2. qu. 6. a. 2.

perfecte liberum sufficiens est ad constituendum peccatum *mortale* in eo cui praeceptum de se grave transgreditur; potest tamen esse magis vel minus *maturum*.

23. — 2° A parte PRINCIPII INTRINSECI habetur: a) *voluntarium simpliciter* et *voluntarium secundum quid*. *Voluntarium simpliciter* est illud quod *actu* procedit ex principio intrinseco; *voluntarium secundum quid* est illud quod actu non procedit ex principio intrinseco, sed spectato appetitus affectu inefficaci contrario *procederet, si circumstantiae aliter sese haberent*.

Ita v. g. proiectio mercium ad evadendum naufragium navigantibus est voluntaria simpliciter, cum eas *actu* proiciant; ipsarum vero retentio est voluntaria secundum quid, cum eas retinere vellent, si non orta fuisset tempestas.

b) *voluntarium purum* aut *voluntarium mixtum*, prout pure i. e. sine ulla mixtione affectus inefficacis contrarii vel cum tali affectu e principio intrinseco procedit. Ita retentio mercium tempore sereno est pure voluntaria; proiectio tempore naufragii constituit voluntarium mixtum.¹⁾

c) *voluntarium in se* aut *voluntarium in causa* volitum, seu, uti alii minus clare dicunt, voluntarium directum et indirectum. *Voluntarium in se* volitum est illud voluntarium quod a voluntate *in se seu secundum se*, ratione propriae bonitatis, sive ut finis, sive ut medium, intenditur. *Voluntarium in causa* volitum est illud in quod voluntas fertur non secundum se, sed tantum *secundum causam suam* ex qua secuturum praevidetur. Quandoque autem et quo sensu aliquis effectus sit voluntarius in causa, infra (n. 26) explicabitur.

Proiectio mercium imminente naufragio est voluntaria *in se*, cum in se habeat bonitatem medii apti ad salvandam vitam. Et contra, blasphemiae, quas ebrius praevidit se esse prolaturum tempore ebrietatis, possunt ei esse voluntariae in causa tantum, quando eas in se abhorret, sed tamen vult delectationem potus immoderati, ex quo secuturam praevidentur.

d) *voluntarium positivum* aut *voluntarium negativum*, quod potius exclusive voluntarium *directum* aut *indirectum* est dicendum. *Voluntarium positivum* est illud voluntarium quod provenit a principio intrinseco in quantum agit; *voluntarium negativum*, illud quod ex eo provenit in quantum non agit.

Sic blasphemiae, quas ebriosus praevidit se esse prolaturum tempore ebrietatis, sunt voluntariae *positive*; submersio navis sequens ex omissione gubernationis, sive in se sive in causa voluntaria, semper *negative* voluntaria est, sicut et ipsa omissio gubernandi, atque omissio volitionis gubernandi.

¹⁾ Voluntarium purum aliquando exclusive vocatur voluntarium simpliciter; et voluntarium mixtum aliquando vocatur voluntarium secundum quid. Quod nos diximus voluntarium secundum quid, tunc unice dicitur involuntarium simpliciter. Haec confusio nonnumquam apud eundem auctorem occurrit. Quare singulis vicibus bene attendendum est, quid scriptor hic et nunc intendat. (Cfr. S. Alf. s. 9. 13. 21; Bouquillon. *Theologia mor. fund.* n. 326; Walsh, *De Actibus humanis*, n. 58).

Omissio alicuius actus *in culpam imputabilis* non est, nisi sit praeceptum ponendi actum qui omittitur. Ceterum disputatur utrum omissio quae non est in se volita, secluso praecepto agendi, *voluntaria* dicenda sit ex hoc solo quod fuerit praevisa et actus poni potuerit. Videtur affirmandum; etenim quando homo potest agere et advertit ad illud, nec tamen agit, non agere est in *actuali* dominio voluntatis ab eaque *procedit* eo modo quo non agere a voluntate procedere potest, sc. consecutive et mediate.¹⁾

24. — 3^o A parte MODI QUO PROCEDIT e principio intrinseco, voluntarium potest esse: a) *actuale*, quod procedit ab actu voluntatis *praesenti*. Est autem aut *actuale explicitum*, quod fit ex *particulari* ac *distincta* cognitione rei volitae; v. g. si Ecclesiae minister dicat: volo hoc sacramentum conficere; aut *implicitum* quod fit ex cognitione magis *generali ac confusa*; v. g. si sacramentum confecturus dicat: volo peragere hunc ritum, quem Ecclesia habet pro sacro. (*Lib. 6. n. 22.*)

b) *virtuale*, quod fit *virtute* actus voluntatis *praeteriti adhuc perseverantis in effectu suo*; unde sequitur effectum semper imputabilem esse, quia vere a voluntate procedit; sic postquam deliberavi Missam celebrare deinde ad altare progredior, nullam amplius intentionem eliciens, nec prioris recordans, virtualiter volo consecrare, quia vi prioris voluntatis progressus sum ad celebrandum. Voluntarium virtuale perseverare potest, etiamsi fuerit interruptum per alias actiones intermedias. Disputatur vero de modo quo influxus intentionis praeteritae explicandus sit.²⁾

c) *habituale*, cuius volitio antea habita fuit et non retractata, sed non est causa actus; e. g. susceptio Sacramentorum a moribundo sensibus destituito, qui sanus sibi proposuerat ea recipere in articulo mortis.

d) *interpretativum*, quando merito praesumitur quod homo vellet aliquid, si adverteret, attamen volitionem numquam elicit. Hoc voluntarium in iure praesertim valorem suum habere potest, quoties licentia praesumpta reputatur sufficiens ad aliquem actum legitime perficiendum; tunc enim talis licentia fundatur in voluntario interpretativo. Ita parochus merito praesumitur ita esse dispositus, ut daret licentiam diacono administrandi SS. Eucharistiam in casu necessitatis, quamvis de facto licentiam non det, quum necessitatem ignoret. Eo ergo in casu licentia administrandi Eucharistiam parochi est interpretative voluntaria.

Nota. Ex definitionibus traditis patet voluntarium habituale et interpretativum *improprie* tantum voluntarium dici. Subinde tamen per voluntarium habituale intelligitur *virtuale*; per voluntarium interpretativum intenditur *actuale implicitum*; sicut hoc ipsum *actuale implicitum* saepe vocatur *virtuale implicitum*.

¹⁾ Ita Jo. a S. Thom. in I. II. *disp.* 3. a. 3; Billuart, *Tract. de act. hum. diss.* 1. art. 4, et alii.

²⁾ Cfr. Frins. *de act. hum.* I. n. 52; Jo a S. Thom. *Disp.* 6 art. 6. n. 6; Walsh. *l. c.* n. 70.

§ II. - VOLUNTARIUM IN CAUSA.

25. — Praenotanda. 1^o Hic inquirendum est *quibus sub conditionibus effectus, in se non intentus sed praeter intentionem ex actione vel omissione sequens, homini tamquam in causa voluntarius adscribi debeat.* — Quam quaestionem probe distinguas ab alia illa, quandonam scil. talis effectus, si in se est malus, homini *in culpam imputetur*; haec ultima quaestio infra ubi agitur de moralitate quae actui ex circumstantia effectus provenit, erit solvenda. (cfr. n. 58. sequ.)

2^o Causa, in qua effectus aliquis voluntarius est dicendus, potest esse vel positiva seu actio, vel negativa seu omissio. Ceterum hac in re causa etiam sensu latiori sumitur, ita quidem voluntarium in causa ab aliis voluntarium *in alio* dicatur. Effectus autem de quo hic agitur potest esse hominis actio (v. g. blasphemiae) vel actionis omissio vel etiam quivis alius effectus ab actione vel omissione distinctus (v. g. mors proximi).

Ut quaestio proposita rite solvatur prius nonnullae species causarum ob oculos ponendae sunt, quibus expositis, facile pro varietate causarum responderi poterit.

Variae causarum species. Causa efficiens (de qua hic unice sermo occurrit) respectu praesentis materiae dividi potest: a) ratione MODI PRODUCENDI effectum in causam *physicam* et *moralem*. Causa *physica* est causa quae per influxum *physicum* vere efficienter effectum producit: ut quando homo construit domum (causa physica libera) vel ignis comburit eam (causa physica naturalis). Causa *moralis* est causa quae causam physicam liberam (vel saltem sponte agentem) ad effectum producendum movet per influxum *moralem*, proponendo ei finem; sive *positive*, v. g. iubendo, hortando, consilium dando, sive *negative*, v. g. non corripiendo.

b) ratione CONNEXIONIS CUM EFFECTU in causam *per se* et causam *per accidens*. Causa *per se* est causa quae per se seu ratione sui i. e. ratione propriae formae vel etiam finis elicitum habet connexionem cum effectum. Sic potus immodicus est causa per se ebrietatis. Causa *per accidens* est causa cui accidit coniungi cum effectum, sive ex parte causae, sive ex parte effectus. ¹⁾ Ebrietas, accedente rixa, potest esse causa per accidens homicidii. Si autem causa per accidens nullum positivum influxum exercent, dicitur *conditio sine qua non*, si est necessaria ut causa per se effectum suum obtineat: amotio columnae est *conditio sine qua non* ut lapis superpositus cadat: dicitur *ocasio*, si non est necessaria, attamen *de facto ad eius praesentiam* effectus obtinetur: negligentia gubernatoris potest esse occasio submersionis navis. — Causa sive physica sive moralis quae *negative* tantum ad effectum (positivum) concurrat, est semper causa per accidens. ²⁾

¹⁾ Cfr. S. Thom. V. *Metaphys. lect. III*; Hugon. *Metaph. tom. VI. p. 98*; Gredt. *Elem. Phil. n. 756*.

²⁾ Cfr. Pesch. *de act. hum. n. 559*; Frins. I. n. 220.

c) ratione INFLUXUS in effectum: in causam *proximam* et causam *remotam*. *Proxima* est quae per se notabiliter influit in effectum, ita ut is saepe ex illa sequatur. *Remota*, quae leviter dumtaxat influit in effectum, ita ut hic raro ex illa sequatur.

26. — **Principia.** I. *Causa PER SE producit effectum in causa voluntarium, dummodo a) causa ipsa voluntarie sit posita, b) effectus sit sufficienter praevisus.* Ratio est, quia quidquid procedit a principio intrinseco cum cognitionis finis est voluntarium. Iamvero ubi agitur de causa per se eaque voluntaria, eius effectus praevisus vere pendet seu *procedit a principio intrinseco, operante cum cognitione finis.* — Est tamen in causa tantum seu per accidens voluntarius, non in se, quia praeter intentionem ex actione sequitur; imo ad ipsum effectum secundum se praecise voluntas mere permissive se habere potest.

Requiritur autem. 1° ut *causa voluntarie sit posita*, seu ut agens possit causam non ponere vel positam removere; secus enim in agentis potestate non est effectum non producere ideoque effectus ipsi voluntarius esse nequit; 2° ut agens *praevideat*, confuse saltem, huiusmodi effectum ex illa causa secuturum esse; nihil enim est volitum nisi fuerit praecognitum: hinc Noë non fuit ebrietatis reus, quia nescivit hanc vini efficaciam. Quando effectus sufficienter praevisus fuerit, exponetur infra n. 236.

II. *Causa PER ACCIDENS reddit effectum in causa atque moraliter voluntarium, dummodo a) causa ipsa voluntarie sit posita, b) effectus sit sufficienter praevisus; atque, iuxta sententiam saltem probabiliorum, c) accedat obligatio cavendi, ne ex tali causa talis effectus sequatur.* Submersio navis tunc tantum gubernatori in causa voluntaria est, quando potest et *debet* eam gubernare et tamen non facit; peccata aliorum tunc tantum alicui sunt voluntaria in causa, quando potest et *debet* vitare ne ipsis ansam praebet. Ratio autem ob quam haec tertia conditio adiicitur, haec est, quia secus effectus nullatenus vere pendet a voluntate, cum causa per accidens, etsi ipsamet vere a voluntate pendens, non sit vere ratione sui causa effectus sequentis. Impleta vero hac tertia conditione, praeceptum cavendi effectum equidem efficere nequit, ut causa per accidens fiat causa per se, ita ut vere ratione sui producat effectum; attamen ex hac conditione *moraliter* ei aequiparatur, ita ut effectus etiam homini ponenti causam illam moraliter tamquam auctori tribuatur. Qui enim vult causam per accidens, quam velle non licet, censetur etiam, in causa saltem, velle, imo moraliter efficere effectum. (Cfr. Pesch. n. 557; Lehmk. 1. n. 73; Frins. 1. n. 221.)

Nota. Quaenam moralitas ex effectu non directe et in se voluntario in actum humanum redundet, dicitur infra n. 58 sequi. Hic notasse sufficiat etiam effectum per se qui praeter intentionem ex actione sequitur non imputari in culpam nisi accedat tertia conditio sc. nisi accedat obligatio cavendi ne ex tali causa talis effectus sequatur; attamen proprie loquendo effectus per se, modo supra indicatae conditiones adsint, eo etiam in casu quo effectus in se malus non imputatur in peccatum, in ordine physico in causa voluntarius manet, quatenus per positivum et realem influxum a voluntate procedit et est praecognitus. Ordo enim moralis efficere nequit, ut effectus per se, in causa voluntarius, iam

cesset esse talis. ¹⁾ Ebrietas manet semper effectus per se potus inebriativi; atque praevisa, bibenti manet in causa voluntaria, etiamsi huic non imputetur in peccatum, quia directe et unice intendit accelerationem sanguinis ad expellendum morbum. ²⁾

Si autem talis effectus aliquando dicatur mere *permissus*, hoc accipiendum est vel de effectu *secundum se praecise*, quatenus voluntas ad talem effectum secundum se praecise permissive se habere potest, quamquam physice simpliciter in causa est voluntarius; vel hoc accipiendum est moraliter, quatenus nempe in ordine morali effectui per accidens quem quis non impediendo mere permittit, aequivalet. ³⁾

Articulus II.

De libero.

27. — Notio et divisio libertatis. Libertas generaliter est immunitas a quavis subiectione et servitute; hic autem sumitur pro immunitate a necessitate seu pro negatione determinationis ad unum. Duplex distingui solet libertas, nempe: 1^o libertas a necessitate coactionis, quae vocari solet libertas *a coactione* seu *libertas spontaneitatis*, et est immunitas ab omni violentia externa contra voluntatis propensionem illata; hac sola libertate gaudent amor Beatorum, actiones infantium, amentium et brutorum; — 2^o libertas *ab omni necessitate*, quae etiam simpliciter libertas *a necessitate* et libertas *electionis, indifferentiae, et arbitrii* dicitur, eaque est, quae omnem necessitatem, tam internam seu *naturae*, quam externam seu *coactionis* excludit: hoc modo dicitur liber, qui potest agere vel non agere, hoc medium eligere vel aliud. Unde liberum arbitrium definitur: Vis electiva seu facultas eligendi unum prae alio. (n. 30.)

Quum porro electio multipliciter fieri possit, libertas *a necessitate* subdividitur: 1^o in libertatem *contradictionis* seu *exercitii*, quae est ad actum aut eius omissionem, qua nempe potest quis agere vel non agere; 2^o in libertatem *specificationis*, quae est ad actus specie diversos; qui actus si sunt contrarii, ut amare et odisse, sedere et stare, dicitur libertas *contrarietatis*; si sunt actus disparati, ut orare et studere, dicitur libertas *disparitatis*. (n. 30.)

Notanda. 1^o Radix libertatis arbitrii est *indifferentia iudicii* seu deliberatio de bono aut malo, quod in actione consideratur; inde namque fit ut voluntas possit pro libito eligere quod sibi placuerit. (H. A. n. 11.)

2^o Libertas a coactione communis est omni voluntario sensu generico sumpto; libertas arbitrii, quae et simpliciter libertas dicitur, huic addit *indifferentiam*. Unde omne liberum est voluntarium, sed non e converso; potest enim voluntarium esse necessarium vel liberum. Verumtamen in homine viatore, si excipiatur primitivus naturae impulsus ad bonum generaliter (saltem quoad specificationem actus), omne voluntarium perfectum est liberum a necessitate, et hinc fit, ut indifferenter vocetur actio libera voluntaria, et e contrario.

¹⁾ Sic partim saltem assentimus iis, quae late proponuntur hac de re in egregio opere Dr. J. H. Boysens: *Ethiek of natuurlijke zedenteer*, I. c. 3. p. 432 sequ.

²⁾ Cfr. infra, n. 258; Marc. n. 758.

³⁾ Cfr. Gredt. I. c. n. 911: «effectus malus, ita illo, aliquando est voluntarius in causa mere *physice tantum, non moraliter*».

28. — Notio et divisio necessitatis. Libertati opponitur *necessitas*, quae est determinatio ad unum. Multiplex distinguitur: 1^o *Necessitas coactionis*, quae idem est ac violentia. *Necessitas naturae* seu *naturalis inclinationis*, quae est impulsio interna, voluntati congenita, ita determinans ad aliquid prosequendum vel fugiendum, ut voluntas ab eo abstinere non possit: talis est in Deo seipsum amante, et in homine beatitudinem generaliter prosequente. Coactio est a principio externo, tollitque voluntarium et liberum: necessitas vero naturalis est a principio interno, et aufert liberum, non voluntarium.

2^o *Necessitas antecedens* seu *absoluta*, quae vel rationis et voluntatis usum saltem deliberatum antecedit ut in motibus primo-primis, vel consensum ita exigit ut eum voluntas denegare nequeat. *Necessitas consequens* seu *hypothetica*, quae liberam voluntatis determinationem sequitur, v. g. necesse est me loqui, si ad loquendum me determinaverim. (n. 31.)

29. — Principia. I. *Homo etiam post Adae lapsum gaudet libero arbitrio*. Est de fide definita in Conc. Trid. sess. 6. can. 5: « Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit... anathema sit. » Accedit ratio: sublato enim libero arbitrio, frustra essent consilia, exhortationes, praecepta, prohibitiones, praemia et poenae.

II. *Essentia liberi arbitrii non consistit in solo voluntario seu libertate a coactione, sed ad eam requiritur indifferentia contradictionis seu libertas a necessitate*. Constat ex damnatione duarum Baji propositionum facta a Pio V et Gregorio XIII; quarum 39^a est: « Quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit; » 66^a: « Sola violentia repugnat libertati hominis naturalis. » Ratio est, quia ad veram et proprie dictam libertatem requiritur, ut actus sit sub voluntatis dominio, i. e. ut possit agere vel non agere; atqui, quando voluntas ad unum necessario fertur, quantumvis spontanee, non potest eligere inter agere vel non agere; ergo nec actionis suae domina est, nec libera. — Non requiritur itaque indifferentia *contrarietatis*, seu potestas faciendi bonum vel malum: quinimo potestas eligendi malum non pertinet ad perfectionem, sed ad defectum libertatis, quemadmodum ad defectum intellectus pertinet quod possit errare oritur quippe ex infirmitate humanae naturae.

III. *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae requiritur libertas a necessitate, nec sufficit libertas a coactione*. Ita definiunt Innocentius X et Alexander VII contra tertiam Jansenii propositionem. Ratio autem idem evincit: actus enim ideo *morales* dicuntur, quia regulis morum subiacent et ab iis dirigi possunt; sed actus necessarii regulis morum subiacere non possunt; ergo *morales* esse nequeunt, neque proin meritorii vel demeritorii. (n. 33.)

*Articulus III.***De involuntario.**

Explicandae sunt: 1° notio involuntarii, 2° causae eiusdem.

§ I. - NOTIO INVOLUNTARII.

30. — **Notio.** Involuntarium sensu *proprio* est illud quod non solum non procedit a principio intrinseco cum cognitione finis, sed quod voluntas etiam *positive aversatur*. Ab eo distinguitur involuntarium improprie dictum, quod melius *non-voluntarium* dicitur, quod est omne illud quod non procedit a principio intrinseco cum cognitione finis, quin tamen voluntas istud aversetur. Demum, sumendo voluntarium pro voluntario-libero, involuntarium vel non-voluntarium dicitur quoque illud quod quidem est voluntarium sensu generico, sed non liberum.

Divisio. Involuntarium proprie dictum est aut involuntarium *simpliciter*, quod quis *actu aversatur*; aut involuntarium *secundum quid*, quod quis inefficaciter seu conditionate aversatur, efficaciter vero et actu vult. — Involuntarium simpliciter demum est aut *purum* aut *mixtum* cum voluntario secundum quid. Sic retentio mercium tempore naufragii mercatori qui proicit merces est involuntaria simpliciter, mixta tamen cum voluntario secundum quid: vellet enim merces retinere, si circumstantiae id permetterent. Cfr. supra n. 23.

Non-voluntarium est aut *simpliciter negativum* aut *privativum*; est simpliciter negativum, prout competit etiam iis quae voluntarii capacia haud sunt; privative vero involuntaria dicuntur ea quae quidem a causa voluntarii capace procedunt, de facto tamen ob defectum alicuius ad voluntarietatem requisiti voluntaria haud sunt.

Demum sub ratione liberi distinguendum est inter simpliciter *non-liberum*, quod obtinet quando abest cognitio illa formalis, qua intellectus possit deliberare (ut in amente contingit), et *imperfecte liberum*, quatenus potestas deliberandi non totaliter aufertur, sed — ex perturbatione phantasiae — semiplena redditur (ut fieri potest in homine passione incenso).

§ II. - CAUSAE INVOLUNTARII.

31. — Dicemus 1° de causis *proximis* involuntarii; 2° de causis quae *remote* in voluntarium influunt et ex quibus causae proximae involuntarii profluere solent.

Punct. I. Causae proximae involuntarii.

Quatuor sunt causae *proximae* involuntarii: *duae* ex parte *principii intrinseci*, ad omne voluntarium requisiti, et sunt *vis* seu *violentia*, quatenus tollit, et *metus*, quatenus minuit voluntarium; *duae* ex parte *cognitionis*, ad voluntarium requisitae, et sunt *concupiscentia* seu *passio*, quatenus minuit, et *ignorantia*, quatenus tollit voluntarium.

1. *Vis seu violentia.*

32. — **Notio.** Vis seu violentia est motio quaedam physica *ab extrinseco* alicui subiecto contra eius inclinationem illata. Si vis infertur enti animato, saepe potius *coactio* dicitur.

Hinc *ad effectum violentiae* seu violentum seu coactum, requiritur in ordine ad hominem: 1° ut effectus ille proveniat *exclusive* a principio homini extrinseco, ita ut homo nullatenus causa sit effectus producti; 2° ut voluntatis inclinatio huic effectui *opposita* sit. Non ergo sufficit ut voluntas passive sese habeat; secus iustificatio parvulorum esset violenta. (n. 15.)

Resistentia *externa* eatenus tantummodo requiritur, quatenus est sequela necessaria displicentiae voluntatis, ita ut si totaliter aut partialiter deficeret, esset signum voluntatem non aut secundum quid tantum effectui alicui esse oppositam. Quam ob rem ubi resistentia externa tamen frustranea vel nimis difficilis foret, *per se* ad perfectam rationem violentiae non requiritur, sed sufficit externe passive sese habere; *per accidens* etiam tunc requiri potest, quatenus aliquando adest periculum, ne secus voluntatis displicentia in consensum transeat; ideo femina vi oppressa ordinarie tenebitur viribus etiam corporis quantum potest resistere, etiamsi resistentia illa violationem effugere nequeat. Cfr. infra n. 567. III. *sub f.*; Walsh. *l. c. n.* 347.

33. — **Divisio.** Vis est aut absoluta aut relativa. Vis *absoluta* seu totalis seu perfecta dicitur, quando homo, cui vis infertur, absolute seu simpliciter dissentit, h. e. interne sine ulla voluntatis adhaesione, externe, quantum talis voluntatis displicentia postulat seu quantum potest et debet. — Dicitur vis *secundum quid* seu melius relativa sive partialis, cum humana voluntas dissentit quidem, sed tantum ita, ut externa reluctantia minor fiat quam esse potest et debet seu quam perfecta oppositio voluntatis requireret. (n. 16.)

34. — **Principia.** I. POSSIBILITAS VIOLENTIAE. *Actus ELICITI VOLUNTATIS violenti esse nequeunt; actus vero ALIARUM POTENTIARUM quae voluntatis imperio subduntur, violentiam subire valent.* Ratio prioris: repugnat enim aliquid simul esse *iuxta* voluntatem (actus elicitus) et *contra* voluntatem (actus violentus). Ratio alterius: potentiae enim istae impediri possunt, ne voluntatis imperium exsequantur. Cfr. 1. 2. *qu.* 6. *a.* 4. (n. 19.)

II. EFFECTUS VIOLENTIAE. 1° *Violentia ABSOLUTA causat involuntarium simpliciter*; quia inclinatio voluntatis in hoc casu perfecte ei opposita est. Puellae igitur invasae, quae interne perfecte dissentit et externe, quantum perfectus ille dissensus expostulat, resistit, stuprum quod nihilominus patitur est involuntarium; neque ergo illud patiendo peccavit. (Cfr. can. 2205. § 1.)

2° *Violentia SECUNDUM QUID seu partialis* quatenus voluntas non directe consentit, sed non resistit quantum potest et debet, *causat voluntarium in causa* pro quanto adest obligatio maioris resistentiae externae.

Nota. Saepe violentia *secundum quid* transit in violentiam *moralem*, quoties dico, quis violentiae physicae *ex metu* etiam *interne* cedit et libere peragit vel patitur, ad quod secus *vi* physica cogeretur; ut si malefactor, ne a ministris securitatis publicae per plateas trahatur, propriis pedibus carcerem versus ambulat. Saepe etiam per violentiam *secundum quid* intelligitur ipsamet illa violentia moralis.

2. Metus.

35. — **Notio et divisio.** Metus est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.

Distinguitur: 1° Metus *ab intrinseco*, qui a causa naturali provenit, v. g. ex morbo, tempestate, contagione. Metus *ab extrinseco*, qui ab homine incutitur: is porro, prout ex causa iusta vel iniusta incutitur, *iuste* vel *iniuste* incussus dicitur.

2° Metus *gravis*, quo timetur malum grave ex causa vere probabili. *Levis*, quo timetur leve malum, aut grave quidem, sed ex causa *improbabili*. Mala gravia communiter censentur mors, mutilatio, enormia verbera, durus carcer, gravis infamia, magna bonorum iactura, etc.

Metus *gravis*, quem descripsimus, *absolute* gravis dicitur, utpote cadens in virum constantem; est et alius *relative* gravis, qui cadit tantum in meticulosos, ut in pueros, feminas, senes; mali enim imminentis apprehensio a personarum indole magnopere dependet, unde non raro contingit mulieres vehementer concutere, quod viros ne leviter quidem tangit.

Huc revocatur alia metus species, qui *reverentialis* audit, quo subditus Superioris offensam timet. Huiusmodi metus per se *levis* putatur; tunc solum *gravis* evadit, quando ei adiunguntur verbera aut minae aut timor alicuius gravis mali, puta odii, diuturnae indignationis.

3° Metus *antecedens*, qui est causa totalis actionis, v. g. metus naufragii movens mercatorem ad eiciendas merces, unde actio eiusmodi *ex metu* fieri dicitur. *Concomitans*, qui voluntatem potius retrahit ab agendo, e. g. furem a furando, ita ut talis actio dicatur fieri *cum metu*.

Nota. In iis, quae sequuntur, loquimur de solo metu *antecedente*, non de concomitante, quippe qui nihil minuat voluntarium, sed potius, cum agens vincat metum, signum est firmae voluntatis. (n. 19; H. A. n. 16. 18.) — Solus autem metus *gravis*, quovis modo incussus, sive absolute sive relative gravis, solet esse *antecedens* seu causa totalis agendi; metus *levis* regulariter non censetur esse causa agendi, quia facile expelli potest. Interdum tamen potest ad agendum inducere, v. g. quando subditus invitus in aliquid consentit, non audens prae reverentia contradicere Superiori.

36. — **Principia.** I. *Metus* QUIVIS ANTECEDENS (*vere ergo movens ad agendum*) GENERATIVIM CAUSAT VOLUNTARIUM MIXTUM *ex voluntario simpliciter et involuntario secundum quid*. Ea enim quae ex metu fiunt solent volun-

tariae quidem, sed cum repugnantia aliqua poni ob affectum contrarii. In hoc autem praecise consistit voluntarium mixtum. — Dicitur autem *generatim*: aliquando enim ex metu mutatur affectus animi et consequenter eo casu metus causat voluntarium *purum*. Hoc obtinet in eo qui ex metu gehennae simpliciter servili concipit veram attritionem de peccatis commissis ideoque affectum erga ea excludit, perspicuens se secus finem intentum, remissionem dico peccatorum, non obtenturum.

II. *Metus antecedens* GRAVIS GENERATIM *minuit, imo aliquando semiplenum, ALIQUANDO nullum reddit voluntarium* SUB RATIONE LIBERI. Perceptio enim gravis mali praesertim imminentis perturbat phantasiam, ita ut intellectus in deliberando impeditus, minus mature alios obiecti respectus consideret. Imo aliquando idem ille usus rationis ex eadem causa semiplenus, aut omnino nullus redditur.

37. — *Resolutiones*. 1° Ordinarie et per se *graviter peccat*, qui ex metu legem aliquam infringit, quae, non obstante malo imminente quod est causa metus, obligare pergit, sicut in iis quae natura sua semper prohibita manent. Unde mortaliter peccant, qui ex metu etiam mortis vel fidem christianam abnegant, vel peritium, fornicationem aut aliud simile peccatum perpetrant. In iis vero quae sunt tantum *positiva* lege prohibita, metus gravis ordinarie excusat a culpa; cum in eo casu lex non obliget, quemadmodum in Tractatu de Legibus explicabitur; cfr. infra n. 184. In quantum metus excuset a poenis cfr. *vol. II. n. 955 et 965*.

2° *Contractus* ex metu gravi initi validi sunt; metu *iniuste* extorti rescindi possunt ab eo qui iniuriam passus est; nonnulli demum contractus spirituales iure canonico irriti sunt. Haec de re in materia de voto, de contractibus, de matrimonio fusius tractabitur.

3. *Concupiscentia*.

38. — *Notio et divisio*. Concupiscentia, seu quod hic idem est, passio, est motus appetitus sensitivi prosequens bonam delectabile cum mutatione praesertim vehementiori organismi.

Duplex distinguitur: 1° *Antecedens*, quae antecedit consensum voluntatis, qui *ex illa* sequitur, v. g. cum quis, visa pulchra muliere, allicitur ad peccatum et consentit. 2° *Consequens*, quae sequitur voluntatis consensum, imo oritur ex praevio voluntatis actu, v. g. dum quis vult *vin*dictam, excitatur in eo aestus irae. (n. 23.)

39. — *Principia*. I. *Concupiscentia* ANTECEDENS NON TOLLIT *voluntarium actus ad quem perducit sub ratione propensionis voluntatis in obiectum, neque ordinarie sub ratione LIBERI; MINUIT tamen illud sub ratione liberi; imo quandoque, dum rationis usum penitus perturbat, libertatem TOLLIT*. Probatur 1^a pars: quia inclinatur voluntatem ad volendum nec ordinarie tollit sufficientem advertentiam rationis; ergo, qui illi obsequitur, ponit actum simpliciter voluntarium ac liberum. — Prob. 2^a pars: minuit

nempe, non propensionem voluntatis, quam potius auget ¹⁾, sed cognitionem ad libertatem; quia passio vehemens avertit mentem allectam a consideratione motivorum retrahentium, v. g. a consideratione turpitudinis actus, offensae Dei, etc. Quare S. Thomas ²⁾ de ea scribit: « Quanto aliquis *ex* maiori passione impulsus peccat, tanto levius est peccatum. » — Prob. 3^a pars: quia in vehementissima passione fieri potest ut ratio penitus perturbetur, et homo caeco impetu feratur; idcirco S. Alf. scripsit: « Potest intellectus ita rapi delectabilitate obiecti oblatis, ut nihil malitiae moralis in illo advertat. » (n. 24. 35. *De peccat. n. 3*; cfr. can. 2206.)

II. CONCUPISCENTIA CONSEQUENS AUGET VOLUNTARIUM. Ratio est quia efficit ut voluntas, ceteris paribus, maiori inclinatione feratur in obiectum. Ex illa igitur colligitur intensio voluntatis praeviae; inde S. Thomas ³⁾ de ea dicit: « Quanto aliquis *cum* maiori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat. » (n. 23.)

40. — Resolutiones. 1^o Peccatum malitiae ex plena libertate, sine ignorantia et non ex passione commissum, gravius est peccato infirmitatis, quod ex passione procedit; unde hoc prae illo facilius veniam meretur.

2^o Motus concupiscentiae primo-primi quos nullus voluntatis consensus deliberatus sequitur, omni prorsus culpa carent. Motus secundo-primi, qui cum imperfecta advertentia imperfectoque consensu fiunt, peccata sunt tantum venialia, quamvis in materia gravi. Motus secundi seu deliberati, qui cum plena advertentia et pleno consensu fiunt, in re gravi sunt certo peccata mortalia, licet passionis vehementia nonnihil ea diminuat. (n. 25. *De peccat. n. 3*.)

3^o Prae oculis habeatur haec S. Thomae animadversio: « Quanto magis aliquis delectabilibus utitur, tanto magis crescit in eo delectabilis appetitus: debilitantur autem concupiscentiae per abstinentiam et alia exercitia corporalia. » (3. *contra Gent., cap. 137. ad 5*.)

4. Ignorantia.

41. — Notio. Ignorantia est carentia scientiae in subiecto scire capaci; si enim subiectum est incapax scire, erit *nescientia*, ut in pueris et amentibus. — Porro ignorantia quae est carentia scientiae *non debitae*, ut iurisprudentiae in rustico, dicitur ignorantia *negativa*; carentia scientiae *debitae*, ut Decalogi in Christiano, vocatur ignorantia *privativa*; si demum adiunctus sit error, puta falsum principium, falsa opinio, vocatur ignorantia *pravae dispositionis*. De ignorantia negativa, utpote quae non est nostri instituti, non loquimur.

Adhuc, alia est ignorantia *habitualis* quae absolute opponitur scientiae et cognitioni, cui proprie nomen *ignorantiae* convenit; alia vero *actualis* quae solum privat actuali advertentia seu memoria, quaeque magis proprie

¹⁾ 1. 2. *qu. 6. a. 7.*

²⁾ 2. 2. *qu. 154. a. 3. ad 1.*

³⁾ 1. 2. *qu. 77. a. 6.*

dicitur *inconsideratio* seu *oblivio*. Huic quoque accommodari possunt fere omnia, quae de ignorantia dicemus; ceterum uberior de ea sermo redibit in Tractatu de peccatis et in tom. II. lib. VII. de poenis; cfr. n. 236. et tom. II. n. 955 et 965.

42. — **Divisio.** Multiplex est ignorantia. 1° Ab *obiecto* quod ignoratur, alia est *iuris* qua lex vel praeceptum ignoratur, v. g. si quis ignoret in vigilia Pentecostes ieiunium esse; alia *facti*, qua factum ignoratur, quatenus sub lege cadit, e. g. si quis ignoret carnem esse id quod comedit die ieiunii, aut comedens carnem ignoret feriam sextam esse.

2° A *subiecto* in quo est, alia est *invincibilis*, quae morali diligentia vinci nequit; haec datur in homine, quando vel plane non dubitat de re, ad quam obligatur, vel saltem non advertit obligationem inquirendi, vel demum in rei notitiam, morali adhibita diligentia, venire non potest. Quocirca adverte non summam requiri diligentiam, sed mediocrem pro rei gravitate sufficere, qualem nempe homines timorati in eiusmodi negotio adhibere solent. — Alia ignorantia est *vincibilis*, quae morali diligentia vinci potest, et vocatur *culpabilis*, quatenus simul et vinci debet: ad hanc requiruntur tres conditiones, nempe a) ut in mentem venerit dubitatio, b) ut advertatur inquirendi obligatio, c) ut inquisitio negligatur.

3° A *relatione ad voluntatem et ad actionem* quae fit cum ignorantia, datur ignorantia concomitans, antecedens et consequens. Ignorantia *concomitans* est ea quae comitatur actionem ita ut non sit causa illius, quia fieret, etiamsi scientia adesset, v. g. si quis, ignorans diem esse ieiunii, comedat carnes, ita dispositus ut, quamvis sciret ieiunium esse, nihilominus carnes comederet.

Ignorantia *antecedens* ea est quae nullo modo voluntaria est, ideoque *anteceedit* omnem actum voluntatis et est causa agendi id, quod alioqui non ageremus, v. g. si quis glande traiciat hominem, quem invincibiliter putet feram esse, non occisurus, si hominem esse novisset; haec ignorantia coincidit cum invincibili.

Ignorantia demum *consequens* ea est quae directe vel indirecte voluntaria est ideoque *sequitur* actum voluntatis estque sicut antecedens causa actionis, quae non fieret, si abesset ignorantia; haec cum ignorantia vincibili coincidit.

Ignorantia *consequens directe* voluntaria est, cum quis de industria aliquid ignorare vult, sive ut liberius peccet, sive ut habeat excusationem a peccato, sive ob aliam rationem, et haec *affectata* dicitur. *Indirecte* voluntaria est, quae non est volita in se, sed in negligentia et omissione discendi: quae negligentia, si magna est, in ordine morali dicitur *crassa* seu *supina*, qualis plerumque est eorum, qui ignorant articulos fidei et peccata contra Decalogum; si vero negligentia parva est, attamen culpabilis, erit ignorantia *levis*.

Aliqui tamen ignorantiam *crassam* seu *supinam* vocant illam, pro qua depellenda nullum vel vix ullum studium adhibitum fuit; si aliquod studium sed non sufficiens adhibetur, ignorantiam vocant *simpliciter talem* seu *gravem*. Haec distinctio in Codice Juris Canonici praevaluit. Cfr. infra n. 181; tom. II. n. 965. (n. 26; lib. 1. n. 3.)

43. — Principia I. *Ignorantia* CONCOMITANS, si non est voluntaria, neque causat voluntarium, neque positive involuntarium, sed solum NON-VOLUNTARIUM PRIVATIVE. Ratio 1^{ae} partis est, quia actio fit sine cognitione requisita; ratio 2^{ae} partis, quia haec ignorantia non est causa actus, seu actus non est contra inclinationem agentis, perinde enim fieret, si cognitio adesset: remanet ergo 3^a pars. (n. 28.) Quod fit cum ignorantia concomitante voluntaria est voluntarium in quantum ipsa ignorantia voluntaria est.¹⁾

II. *Ignorantia* ANTECEDENS causat SIMPLICITER INVOLUNTARIUM. Illud enim est simpliciter involuntarium quod voluntas actu aversatur. Atqui, id quod causatur ab ignorantia antecedenti tali modo aversatur voluntas, ut ex definitione supra tradita patet. (n. 27.) Hic tamen adverte, id, quod ex ignorantia antecedente fit, esse involuntarium secundum eam rationem easque circumstantias, secundum quas ex ignorantia procedit.

III. *Ignorantia* CONSEQUENS non tollit voluntarium, sed causat VOLUNTARIUM MIXTUM ex voluntario simpliciter et involuntario secundum quid; et quidem ita ut ignorantia AFFECTATA augeat voluntarium, ignorantia INDIRECTE voluntaria illud minuat. Ratio prioris: est enim ignorantia voluntaria, ita tamen, ut si deesset, actio non poneretur; ratio alterius: qui enim directe vult ignorare, ex hac parte animum valde propensum in effectum ignorantiae ostendit; qui vero ex mera negligentia ignorat aversionem ab effectu ignorantiae omni ex parte retinet. Cfr. 1. 2. qu. 6. a. 8. (n. 29.)

Resolutiones. 1^o Laici regulariter non peccant exsequendo ea, quae parochus vel confessarius, quem doctum existimant, docet, nec tenentur alios consulere ad dubia vincenda; quia moralem diligentiam adhibuerunt, esto parochus vel confessarius qui erraverit.

2^o Pueri qui actiones impudicas fecerunt sine ullo angore conscientiae vel mali suspitione, formaliter non peccarunt, etiamsi rationis usum iam adepti fuerint.

3^o Peccat coniux, qui dubitans de valore matrimonii nolit ulterius inquirere ne teneatur a debito abstinere.

4^o Crassa plerumque solet esse earum rerum ignorantia, quae ab eiusdem status vel conditionis hominibus communiter cognoscuntur, vel cognosci debent.

5^o Confessarius, iudex, medicus, etc. qui scientiam necessariam ad rite fungendum officio suo sibi deesse advertit, et tamen negligit eam sibi comparare, aut, antequam illam adeptus sit, pergit munus suum exercere, reus erit errorum, quos ex ignorantia commiserit et saltem confuse praeviderit.

¹⁾ Cfr. Salm. tr. 20. c. 14. n. 4; Lessius. de act. hum. n. 53. 54.

Punct. II. Causae quae aliquando remote concurrunt ad producendum involuntarium.

44. — Causae huiusmodi sunt aut homini externae aut homini internae. Internae autem sunt aut communes seu tales quae homini etiam sano atque usu actuali rationis perfecte fruenti conveniunt, aut tales quae in aliqua perturbatione psychica consistunt. Priorae sese habent aut a parte corporis aut a parte animae, posteriores sunt aut transitoriae aut permanentes potius.

Agemus de modo quo aliquando concurrunt ad producendum involuntarium: 1^o causae homini externae, 2^o causae communes a parte corporis, 3^o causae huiusmodi a parte animae, 4^o perturbationes psychicae transitoriae, 5^o perturbationes psychicae permanentes.

I. Causae homini externae. Tales habentur: 1^o ratione *originis*, ut sunt: parentes (unde oriuntur dispositiones hereditariae, atavismus), patria, natio, caeli temperies et similia; 2^o ratione *educationis* corporalis, intellectualis, moralis, religiosae; 3^o ratione conditionis *socialis* in qua quis versatur, prout prospera est vel adversa, alta vel humilis etc.

Causae externae *remotissime* tantum ad voluntarium concurrunt, quatenus praeparant dispositiones corporales vel spirituales easve provocant. Hinc etiam remotissime tantum ad producendum involuntarium concurrere valent.

II. Causae communes a parte corporis. Sunt: aetas, sexus, valetudo, dispositio naturalis, temperamentum, quod tunc sumitur tamquam «complexus illarum propensionum quae, sive ex hereditate sive ex organismo cuique proprio, alicui individuo competunt eiusque specialem indolem constituunt». ¹⁾

Haec causae generatim tantum *minuere* valent liberum, ut in pueris, mulieribus, senibus occurrere potest; non tamen illud tollere solent, imo nec ordinarie omnino *semiplenum* reddunt, ita ut peccatum mortale fieret veniale; *sed singuli casus perpendendi sunt*.

III. Causae communes a parte animae. Tales sunt: 1^o *habitus* seu consuetudo quae sensu proprio, prout hic sumitur, definiri potest: qualitas potentiae animae difficile mobilis, acquisita ex *libere* repetitis actibus vi cuius homo disponitur ad bene vel male operandum in ordine morali. Si ad bene operandum disponit, est *virtus*; si ad male operandum, est *vitium*. ²⁾ Accedit 2^o *character* qui, prout distinguitur a temperamento, describitur «complexus nativarum propensionum, quatenus educatione aut propria voluntate *immutatae* sunt, et aliquam stabilitatem acquisierunt. » ³⁾

Quoad influxum habitus et characteris sensu proprio sumpti in ordine ad voluntarium vel involuntarium distinguendum est. 1^o *PER SE non tollunt* voluntarium liberum, saltem in causa; praecise quia ex parte solius animae, seu intellectus et voluntatis, oriuntur; ex quibus et voluntarium procedit. Imo *per se augent* voluntarium, quatenus inclinatio voluntatis ex iis augetur. Ideo peccans

¹⁾ Cfr. Tanquerey. *Theol. mor. fund.* n. 116.

²⁾ Cfr. 1. 2. *qu.* 49. a. 2. ad 3, *qu.* 51. a. 2 et 3; infra n. 264; Gredt. *Elem. Phil.* ed. 6. I. n. 188; Ter. Haar. *de Occasionariis et Recidivis.* n. 194.

³⁾ Tanquerey. *l. c.*

ex habitu peccat ex certa malitia et gravius peccat quam sine illo; ¹⁾ saepe vocatur habituatus intemperatus seu *habituatus in voluntate peccandi*.

Nec obstat actualis inadvertentia quae forte comitatur actus ex habitu procedentes; nam haec est voluntaria in causa saltem, nempe in ipso habitu libere acquisito et libere conservato. Dixi *quae forte comitatur*: peccatores namque habituati semper habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum, sufficientem ad reddendos actus deliberatos et mortales; solummodo cognitio illa actualis, eo quod ipsi parvipendant peccatum, non ingerit eorum animis sensibilem illam impressionem, quam gignit in alio habente conscientiam minus depravatam, et ideo illius obliviscuntur.

2° PER ACCIDENS vero valent minuere, imo tollere liberum, postquam, dico, habitus ipse per sinceram retractationem voluntatis factus est ipsemet involuntarius; ²⁾ quum eo casu et effectus eius fieri possint involuntarii vel saltem minus voluntarii seu potius minus liberi. Cum enim habitus seu consuetudo vertatur quodammodo in naturam, non est in hominis potestate tam cito extirpare illam; quod cumprimis valet de peccatis oris. Saepe talis peccator vocatur habituatus incontinens seu *habituatus in peccato*.

Caveat confessarius ne facile fidem habeat poenitentibus, qui periuria, blasphemias, verba obscena ob consuetudinem excusare nituntur, quasi inadvertenter et involuntarie prolata; inquirat nempe utrum consuetudo voluntaria sit necne, et num poenitens serio illam extirpare conetur. (*n. 14. sub 3. De pecc. n. 4, v. Tertio.*)

Quodsi male habituato, qui habitum suum dolet, ex remanenti pronitate ad peccatum contingat in peccatum recidere, eius peccata erunt ex infirmitate; pronitas enim illa minuit, imo aliquando tollit voluntarium. Propterea a confessorio tractandus est animusque illi addendus. ³⁾

45. — IV. *Perturbationes psychicae transitoriae*. Hae perturbationes occurrunt tum in somno naturali, tum in somno artificiali, ope hypnosis, potus alcoholici vel similibus mediorum inducto.

Porro in genere, si similes perturbationes *perfecte* habentur, solent tollere liberum ob defectum conscientiae reflexae; si *imperfecte* habentur, illud plus minusve diminuunt pro gradu in quo occurrunt. Potest tamen semper haberi voluntarium et liberum *in causa*, uti patet.

In specie quoad *hypnosin*, quando perfecta non est, non constat libertatem *plane* suspendi; multo minus in statu posthypnotico; experientia enim constat hominem tunc resistere posse eumque non raro id facere, quando ipsi graviter inconvenientia vel consuetudini suae contraria suggeruntur. ⁴⁾ Attamen haec renitentia in tali casu non est argumentum certum pro libertate expedita quum forsitan sufficienter explicari possit ex habitu ipso valde irradicato.

V. *Perturbationes psychicae permanentes*. Huc spectant aegritudines mentales seu sic dictae *psychosae*, dein *psychoneurosae*, atque tandem *reactiones psychogenae*.

¹⁾ S. Thom. 1. 2. qu. 78. a. 2 et 4. ad 2.

²⁾ Cui convenit habitus improprie dictus, acquisitus sc. non ex libere repetitis actibus sed involuntario seu inculpabiliter v. g. ignorando pravitatem actus repetiti.

³⁾ Cfr. Reuter. *Neo-Conf.* (1910) n. 267. 8° Cfr. etiam infra tom. II n. 479.

⁴⁾ Cfr. Lehmkühl. I. n. 91. De moralitate hypnotismi vide infra n. 432.

1° PSYCHOSAE sunt eae perturbationes permanentes quae habitualiter usum rationis perturbant. Sunt aut generales aut partiales, prout natae sunt vario gradu auferre usum habitualement rationis *sub omni respectu* seu *in quavis materia*, aut solummodo in *aliqua determinata materia*. Aliae habent causam organicam nobis notam, aliae non. ¹⁾

Psychosae *generales* cum causa organica nobis nota oriuntur aut ex imperfecta conformatione cerebri (idiotismus, imbecillitas), aut ex infectione microbica (v. g. ex viru syphilitico), aut ex intoxicatione, sive venenum ab externo provenit (abusu protracto potus alcoolici, morphii aliusve narcotici), sive ab interno producitur (ut in dementia senili). — Psychosae generales quae non habent causam organicam nobis notam sunt praesertim dementia praecox et variae maniae habituales (mania simplex, melancholia, mania alternans seu circularis). — Psychosae *partiales* variis modis habentur, sive a parte vitae cognoscitivae (sic pseudo-persecuti, pseudo-visionarii etc.), sive a parte potius vitae affectivae (moral insanity). — Psychosae, saltem graviores, solent tollere omne liberum vel saltem id valde minuunt, ita ut vix peccatum grave haberi possit; idque saepe etiam (uti in paranoia) iis in rebus in quibus patiens insanire haud videtur. Idque sive ob varias illusiones, hallucinationes, ideas fixas quae producere solent maiorem minoremve impotentiam deliberandi, sive ob defectum conscientiae reflexae, sive ob nimiam imbecillitatem spiritualem. ²⁾

2° PSYCHONEUROSAE vocantur eae perturbationes systematis nervi quae, qua tales, *habitualiter* usum rationis non tollunt, ne in determinata quidem materia. Dicitur: *qua tales*, nam haud raro cum quadam forma psychosae miscentur. Quamvis autem qua tales habitualiter non auferant usum rationis, nihilominus, quum rectitudo iudicii saepe potius ordinis speculativi maneat, facile potestatem deliberandi proindeque libertatem diminuunt, ut pro singulis ex dicendis patebit. — Huc revocari possunt (praeter varias anormalitates sexuales, uti satyriasis, nymphomania aliaeque de quibus infra n. 627 5° et n. 632), epilepsia, hysteria, psychasthenia, neurasthenia. Notes autem hysteriam etc. hic sumi sensu stricto, prout sunt determinati status pathologici, non vero sensu illo latiori et improprio quo saepius de istis loquuntur.

Epilepsia est illa systematis nervorum deordinatio vi cuius, interpositis intervallis longioribus, « crisis » quaedam oritur, in qua epilepticus iam sui compos non est. Insuper hic morbus ordinarie etiam aliis temporibus, extra proprie dictas magnas crises, vario gradu transitorie perturbare potest vitam psychicam; imo in veram etiam psychosam degenerare. — In ipsa crisi aeger libertate caret; quoad alios influxus transitorios libertas pendet a gradu perturbationis, qui gradus saepe difficilis notu erit.

¹⁾ Perturbationes psychicae semper secum ferunt aliquam alterationem systematis nervorum, quamvis saepe natura alterationis ignoretur. Dicuntur autem *organicae*, si alteratio systematis nervorum oritur ex causa ordinis *physici*, ex laesione organica; si vero ex causa ordinis *psychici*, in systema nervorum influente, dicuntur *functionales*. Cfr. R. de Sinéty, *La direction des psychopathes* in: *Rev. d'ascét. et mystique* 1925, p. 227 et 337, ubi plura utilia.

²⁾ Cfr. Bessmer, *Störungen im Seelenleben*² passim, praesertim inde a p. 179; dein 183. 207. 208. Id. *Die Grundlagen der Seelenstörungen*. Id. *Das menschliche Wollen*, praesertim p. 132 (moral insanity, de quo cfr. et *Störungen* p. 132). Huber, *Die Hemmnisse der Willensfreiheit*. Weber, *Zwangsgedanken u. Zwangszustände* (in *Seelsorgerpraxis*). Familler, *Pastoralpsychiatrie*. Tanqueroy, II. *Syn. Theol. mor.* n. 127. Fröbes, *Lehrbuch der experimentellen Psychologie* II. p. 617. Cfr. et *Acta Ap. Sedis* 1915. p. 572, ubi dictorum applicatio ad casum practicum.

Hysteria est ea deordinatio systematis nervorum qua phantasia modo excessivo suggestioni subiicitur; hinc magna in agendis inconstantia et defectus veracitatis, ita ut hystericus facile seipsum et alios decipiat; hinc abnormis irritatio appetitus sensitivi cum funestis sequelis in ordine morali atque studium indomitum omnium oculos in se convertendi. — Hinc etiam minor libertas in agendis; ita ut pluries non habeatur peccatum mortale in iis quae obiective peccatum mortale constituunt; imo in nonnullis circumstantiis imputabilitas deesse potest.

Psychasthenia seu debilitas psychica est ea aegritudo vitae psychicae quae hominem, ceteroquin sui compotem, ideis fixis, obsessionibus, impulsionebus seu propensionebus, quasi ineluctabilibus in ea a quibus alias abhorret, phobis, scrupulis, abouliis aliisque anomaliis psychicis obnoxium reddit. Psychasthenicus de abnormitate eorum sibi bene conscius est et in hoc differt ab iis qui vera psychosa laborant. — Libertas in iis in quibus psychasthenia sese manifestat, valde minui, imo aliquando tolli potest.

Neurasthenia est fastigatio habitualis systematis nervorum, sive quod eius causa proxima sit organica, sive quod sit psychica. Hinc malum capitis, insomnia, difficultas sese occupandi studiis; nimia sensibilitas; perturbatio functionum corporalium, digestivae praesertim; morbi corporales veri sed exaggerati, vel etiam pure imaginarii. — In tali statu facile libertas in pluribus actibus minuitur pro gradu morbi; aliquando etiam actus impulsivi prorsus indeliberati vi huius morbi occurrere possunt.

3° REACTIONES PSYCHOGENAE vocantur actiones, animi affectiones aut sensationes anormales quae oriuntur ex conflictibus psychicis, qui antea in animo eius qui hisce reactionibus subiectus est, evenerunt. Oriuntur tam in iis qui psychice normalem in modum quam in iis qui anormalem in modum constituti sunt. Libertas circa rem quae cum conflictu cohaeret imminuta est. ¹⁾

45^{bis}. Notanda pro praxi. 1° Quando agitur de iis qui vera psychosa laborant, Sacerdos regulariter parum vel nihil efficere potest, sed cura praecipua si non unica ad psychiatrum spectat; libertas enim adeoque imputabilitas moralis eorum aut sublata aut nimis diminuta est eorumque sanatio si quae obtineri potest, a solis in arte peritis tentanda est. Attamen praesertim in sanatoriis huc spectantibus Sacerdos expertus tamquam cappellanus eis addictus cum medico collaborare atque praesertim prudenter discernere debet quae sacramenta extra et intra periculum mortis plene vel semi-mente captis administrari valeant. Cfr. quoad sacramenta in genere infra II. n. 31. 34; quoad Baptismum II. n. 67; Euchari-
stiam II. n. 135. 137; sacramentum Poenitentiae n. 334 et 482 IV. n. 5°; Matri-
monium II. n. 636 in nota marg. 1 et 2; et quoad petitionem debiti n. 910.
3° De subiectione legi naturali cfr. I. n. 133, legi ecclesiasticae n. 147; de imputa-
bilitate delicti et poenis ecclesiasticis II. n. 955 et 966. De candidatis ad Ordines
S. C. de Sacramentis 27 Dec. 1931. A. A. S. 1931. p. 124 et 129.

¹⁾ Ita Wouters, *Theologia Mor.* I. n. 56. Cfr. etiam eundem auctorem inde a n. 51 de aliis anormal-
tibus supra enumeratis ubi eas fusius describit. Cfr. etiam: Schim van der Loeff en Barnhoorn, *Ziels-
ziekten en hunne Verpleging*. Schulte, *Was der Seelsorger von nervosen Seelenleiden wissen muss*. Idem, *N.K.S.*
1937. p. 257; *Zielsorg van Psychopathien*. Bless. *Pastoraal Psychiatrie*.

2° Quando agitur de iis qui mere psychoneurosi laborant et de iis qui sensu stricto psychopathici vocantur, Sacerdos etiam eos in casibus saltem gravioribus ad psychiatrum dirigit. Attamen ubi intervenit elementum morale aut religiosum, uti haud raro idque non in solis scrupulosis obtinet, Sacerdos saepe partes principales peragat oportet, praesertim si aegrotus maiorem fiduciam erga Sacerdotem habet; collatis tamen pro re nata cum medico consiliis. Quapropter Sacerdos principiis saltem elementaribus hac in re instructus sit. Eorum enim ignarus psychopathicis ingenti saepe damno atque tormento erit; rite vero edoctus atque prudentia, experientia et caritate munitus plurimum salutis tam animae quam corporis prodesse valebit. Hinc conferentiis pastoralibus hac de re opportune iam in Seminario et postea habendis, studio privato atque peritorum consultatione ista principia eorumque applicationem paulatim sibi acquirere cogitur.

3° Maximi momenti est ut Sacerdos abnormes discernere valeat; secus enim gravibus erroribus in cura animarum exponitur. Non enim omnes facile irritabiles vel tensis nervis psychopathici accensendi sunt: saepe tota causa talis status animi in culpabili defectu christianae abnegationis invenitur atque a tali abnegatione iterum atque iterum inculcanda unicum tunc remedium repetendum est. Sagax Sacerdos paulatim saltem quasi per intuitionem psychopathicos dignoscere addiscent ex quibusdam manifestis insequentibus seu incoherentibus quales apud personam sanam supponi nequeunt. Tales sunt variae ideae fixae quibus v. g. quis se omnis religionis expertem atque derisorem autumat, attamen continuo inferni terrore tabescit; vel se sensualitate et libidine plenum declarat, sed diu noctuque tremit ne ulli carnis stimulo ansam praebeat; vel se odio et mala voluntate erga proximum refertum perhibet et simul vix ullum verbum proferre audet ne caritatem offendat.

4° Non sufficit ut Sacerdos psychopathicum a normali discernere valeat, verum etiam petito in casu difficiliore medici iudicio specificam diagnosin facere sciat oportet. Etsi enim phaenomena externa saepe convenient, eorum causa diversa esse potest diversamque imo oppositam thereopathiam pastorem postulabit. Ita v. g. abnormem quamdam in re sexuali irritabilitatem si ex morbo quodam pavore provenit, strenua resistendi consilia potius augebunt; hinc omnis conatus Sacerdotis in id tendat oportet ut aegrotus pavore suo morbo liberetur eique aequilibrium restituatur; quo facto animi tensione relaxata stimulus carnis sponte remittitur vel etiam cessat. Si morbida depressio causa est, hortamenta ad resistendum viriliter parum iuvabunt, si non ipsa oppressio melancholica mitigetur. Si nervi exhausti causa sunt ita ut physica et psychica quaedam impotentia moralis habeatur, merae exhortationes ad fortiter volendum sensum impotentiae potius augebunt ita ut tandem aliquando perfectus collapsus oriatur; sed nervis recreatis atque viribus corporalibus auctis, vis tentationum remittitur vel etiam cessabit. Si vero hyperlibido provenit ex hysteria talive forma psychopathica in qua vita appetitiva quasi coeco impetu decurrit, hystericus ludo morbo propriae imaginationis subtrahendus est ita ut stimulo sexuali oriente etiam conscientia moralis reviviscat; coeco impetui frena psychica et aliquando etiam physica opponenda sunt praesertim si aliis periculosus evadat. Saepe difficile erit hystericum a psychasthenico vel neurasthenico primo obtuitu dignoscere, sed tamen necesse erit; nam error hac in re funestas secum ducit sequelas. Si hystericus tractatur tamquam psychasthenicus vel neurasthenicus, utique

satisfactus erit; sed exinde Sacerdotem aliosque eo magis decipiet. Si vero psychasthenicus vel neurasthenicus tractatur ut hystericus, perpetuo torquetur atque in extremam depressionem incidet ex qua vix erigi poterit.

5° Bene ergo distinguat Sacerdos inter eos quorum voluntas sive obsessione sive depressione morbida confixa tenetur; et eos quorum voluntas ex praedominio imaginationis (ut in hysteria) vel appetitus sensitivi (ut in aboulia) fere sine resistantia hic illic fluctuat; et eos quorum voluntas ex nimia nervorum lassitudine debilitata est. Quoad singula haec notentur:

a) *Obsessio psychica* radicitur in insano timore ex quo saepe conflictus morales generantur, ut in scrupulosis obtinet (de quibus plura infra n. 71) et in genere in iis omnibus qui in materia morali variis ideis fixis atque impulsibus irresistibilibus laborant, quae excutere nesciunt, etsi ea abhorreant, ita ut continuo adesse tentationes et occasiones proximas peccandi ipsumque peccatum commissum existiment. Quo gravior est obsessio eo minor subiecti imputabilitas. Sacerdos conetur persuadere obsesso de caractere morboso eius mali deque eius relativa non imputabilitate; quapropter doceat eum anxietatem de vita praeterita deponere atque ideis fixis et impulsibus occurrentibus non positive resistere, quod ea aggravaret, sed potius spernendo sibi relinquere. Cfr. n. 237.

b) *Depressio seu melancholia morbida* voluntatem paralyzat ita ut passiva, iners, indecisa existat; hinc libertas ideoque imputabilitas depressione diminuitur et in casibus gravioribus aufertur ita ut aegrotus passionibus contra suam voluntatem obsurgentibus resistere haud valeat. Quapropter Sacerdos eum tranqillet eique persuadeat eum sub influxu talis depressionis non, vel saltem non graviter, peccare posse. Depressione sublata, etiam anxietas tollitur. Sed cura religiosa parum iuvare solet nisi depressio proveniat ex peccatis revera vel apparenter commissis; quo in casu sincera confessio animum aegroti mirum in modum levare poterit. Secus vero usus frequens sacramentorum ad depressionem morbidam dispositis facile nocivus fieri potest, quatenus exinde magis in atris suis ideis obfiguntur. Tandem in casibus gravioribus peritus consulendus est ut discernat utrum mere de forma quadam psychasthenica an potius de vera psychosa sua depressione maniaca agatur.

c) *Quoad personas hystericas* quamvis iuxta supradicta imputabilitas apud ipsas valde diminuta et in nonnullis circumstantiis etiam omnino deesse possit, id ipsis non leviter significetur ne in peius ruant. Ob eandem rationem Sacerdos flocci pendeat mira quae narrent vel perpetrent; neque aliquid extraordinarium ipsis permittat sed ad laborem utilem et iucundum eos adigat ita ut eis tempus deficiat sese suis extravagantibus tradendi. Ostendat Sacerdos se perspicere eorum fallacias eorumque conscientiam excutere conetur, quamvis practice morbus potius crescente aetate et aerummi vitae sedari soleat. Ea quae obsessum vel depressum perderent hystericum sanat. De cetero Sacerdos valde caute cum ipsis procedat etiamsi pietatis speciem prae se ferant, ne tempus et oleum perdat vel quod peius est ab ipsis decipiatur atque variis modis misere traducatur. Cfr. *Theol. Past.* n. 186. Capellmann. *Med. Past.* p. 4. 53.

d) *Qui aboulia laborant*, sub respectu etiam morali inter degeneratos computandi sunt, quum morbido quodam modo magis vel minus impotentes sint quominus passionibus resistant ita ut imputabilitas diminuatur et in casu

graviori deficiat. Hinc quoad vitam anteactam asociales in coloniis punitivis vel pueri et puellae in domibus educativis reclusi mitius iudicandi sunt. Huc etiam reducendi sunt cleptomaniaci, bibitores periodici, vagabundi perpetui. Aboulicus aliter ac hystericus clare hanc suam conditionem perspicit, imo habet bonam sed nimis debilem voluntatem sese emendandi. Quapropter omnis cura huc spectari debet ut voluntas eorum corroboretur, finem quemdam altum ipsis arridentem proponendo una cum motivis ad emendationem omnino impellentibus idque modo constanti atque systematico; qua in re fatentibus peritis susceptio regularis sacramenti Poenitentiae magnum influxum praeservativum atque paedagogicum exercet. Etiam perversitates sexuales quamvis per se imputabilitatem non tollant facile abouliam tamquam causam vel effectum habere possunt.

e) *Quoad neurasthenicos*, qui ex nimia nervorum fatigatione officiis et obligationibus suis iam non fiunt satis, attentata eorum diminuta et aliquando sublata imputabilitate atque relativa impotentia, caveat Confessarius ne eorum defectus et neglegentias atque irritabilitatem plane malae voluntati seu culpae attribuat neve eos iterum atque iterum cum ipsorum desperatione ad fortiter procedendum hortetur, sed curam potius medicam suadeat. Praesertim vero si certae personae sibi videntur incredibili frequentia cedere certis tentationibus impuris sui generis, persuadeat eis Confessarius de eorum statu aegritudinali deque saltem probabili absentia peccati saltem gravis eosque actus potius resignationis, amoris et oblationis quam explicitos actus contritionis elicere doceat ne animus secus semper magis deprimatur. Si hisce consiliis iungatur cura systematica nervorum et totius organismi per debitam quietem et nutrimentum, irritatio paulatim automaticae cessabit atque vita etiam moralis normali modo procedere incipiet.

f) *Quoad candidatos ad statum religiosum vel sacerdotalem* caute omnino procedant singuli pro foro suo sive Confessarii sive Superiores ad quos eorum admissionem spectat quoties symptoma morbida in vita eorum psychica notantur eosque in dubio examini psychiatri subiiciant. Etsi enim tales personae ob saepe diminutam vel etiam sublata imputabilitatem in administratione sacramenti Poenitentiae cum omni misericordia tractandi sint, similis misericordia non est adhibenda ubi agitur de statu religioso vel sacerdotali suscipiendo, ob gravia nempe onera hisce statibus annexa quibus ferendis istae personae facile impares sunt cum magno damno proprio et Ecclesiae vel Instituti religiosi. Hinc S. C. de Sacr. in Instr. 27 Dec. 1930 in modulo II. n. 16 de candidatis ad S. Ordines (A. A. S. p. 130) iubet ut parochus referat «num inter parentes alicuius infirmitatis indicia ac praecipue mentis morumque pravorum adsint quae atavismum suspicari sinant.» In specie examen psychiatricum omnino necessarium est si quis facile morbido modo sine apparente ratione a statu summae exaltationis in statum maximae depressionis et impotentiae transire solet ita ut germina verae psychosae latere videantur (periculum maniae circularis); pari modo si quis morbido modo suspiciosum et diffidentem sese exhibet et continuos conflictus habet atque querelas neque rationibus et monitionibus cedat sed incurabilis maneat (periculum paranoiae); tandem si agatur de typis singularibus solitariis sibi aliisque extraneis seu exsulibus in quibus contactus cum realitate deest (periculum schizophaeniae). Si praesentia huiusmodi periculi iudicio psychiatri confirmatur, tales vitae religiosae vel sacerdotali omnino ineptes habendi sunt. Verum etiam ubi symptoma mere neurotica vel psychopathica sese produnt

caute tamen procedendum est. Omnino arcendi sunt qui indolem plane hystericam prae se ferunt vel aboullia vel vere morbidis deviationibus sexualibus continuo laborant. Magna etiam cautela utendum cum iis qui morbida depressione melancholica affecti sunt eo vel magis quia forsitan in veram psychosam degeneratura est. Obsessio psychica, in specie gravis scrupulositas quae a perito direttore spiritus corrigi nequit, ratio esse potest cur ante admissionem ad professionem vel S. Ordines iudicium psychiatri petatur. Tandem quoad simplices neurasthenicos praesertim in ordine ad vitam religiosam serio perpendendum est num disciplinam et labores Instituto proprios ferre valituri sint; id quod a gradu defatigationis nervorum atque a spe curationis pendebit.

Demum fac observes pluribus psychopathicis etiam statum matrimonialem esse dissuadendum ob proprium uxoris atque futurae prolis bonum; quapropter in dubio consultatio medica omnino commendanda est de qua vide tom. II. n. 636. qu. 2. 2. ¹⁾

CAPUT III.

DE ACTIBUS HUMANIS MORALITER CONSIDERATIS

Agendum 1^o de natura et speciebus, 2^o de principiis moralitatis.

Articulus I.

Natura et species moralitatis.

46. — Notio moralitatis. Actibus humanis prout a voluntate deliberata procedunt propria est specialis illa formalitas seu proprietas qua dicuntur boni vel mali moraliter, quaeque in genere *moralitas* dicitur. Est autem haec bonitas vel malitia moralis sita in *convenientia vel inconvenientia actus humani cum regula propria actus humani qua talis seu cum regula moralitatis*; ita ut bonum sit quicquid huic regulae conforme est, malum quicquid ab ea deficit. Regula autem moralitatis est regula ordinis quam Deus hominibus in actibus deliberatis sequendam statuit quaeque *dirigit ipsos in finem ultimum humanae vitae.* (n. 34.)

NOTANDA. 1^o Haec de bonitate et malitia morali generaliter dicta communis omnium theologorum fert sententia. Disputatur vero, in quo formaliter consistat esse morale seu quae sit ipsa moralitatis essentia. Alii eam reponunt in *denominatione extrinseca* a regula morum, alii autem in *relatione* ad regulam morum; quae relatio aliis est relatio *rationis tantum*, aliis relatio *realis praedicamentalis*, aliis demum *realis transcendentalis*. Cum hac ultima sententia dicendum videtur moralitatem esse ordinem realem actuum humanorum ad regulas morum, ipsis actibus intrinsece imbitum, seu esse *relationem realem transcendentalem* ad regulas morum.

Et quidem moralitas in genere, prout abstrahit a bono vel malo, est relatio *regulabilitatis* seu *commensurabilitatis* seu *subiectionis* regulis morum. Haec autem regulabilitas

¹⁾ Cfr. Schulte. l. c. et *Zielvorg von Psychopathen* in N. K. S. 1937. p. 257; Bless. l. c. et *Psychopathologia pastoralis* in N. K. S. 1932. p. 6; *Over Roeping en Psychose* ibid. 1937. p. 164. 199.

per *convenientiam* vel *disconvenientiam* cum regulis mo. um contrahitur ad bonitatem vel malitiam moralem. Notes sub regulis morum comprehenduntur leges et praecepta, tum etiam consilia.

2^o Quum actus humani formaliter constituantur per ordinem seu tendentiam transcendentelem ad suum obiectum, actus humanus dicit relationem transcendentalem ad regulas morum, quatenus dicit relationem transcendentalem ad *obiectum*, ut *subest regulis morum*. Unde magis explicitè moralitas actuum humanorum definiri potest ipsorum relatio realis transcendentis ad obiectum, prout *subest regulis morum*.

3^o *Libertas* requiritur ad moralitatem; actus enim necessarii non subiiciuntur regulis morum nec sunt ab iis dirigibiles, sed soli actus liberi. Non est tamen eadem libertatis et moralitatis ratio; actus dicitur liber quatenus a libera voluntate procedit, moralis quatenus subiicitur regulis morum, conformis ipsis vel difformis ab ipsis existens. Hinc moralitas formaliter non in actus libertate consistit, sed haec est fundamentum moralitatis, tamquam requisitum ad id ut actus secundum se sit dirigibilis a regulis morum et capax moralitatis. — Quia autem libertas est moralitatis necessarium fundamentum, etiam ii tantum actus sunt *intrinsicè* morales, qui sunt *intrinsicè* voluntarii et liberi. Tales sunt actus *eliciti* a voluntate, qui *intrinsicè* et *essentialiter* voluntarii et liberi sunt; dein etiam omnes illi actus qui hanc libertatem *intrinsicè* participant. Actus autem membrorum externorum, qui secundum se non sunt intrinsicè liberi, sed tantum per denominationem extrinsecam ab actu voluntatis quo imperantur liberi dicuntur, secundum se etiam solummodo per denominationem extrinsecam ab actu interno morales sunt (loquendo semper de moralitate *formali*). Dixi actum externum *secundum se*, quia, si actum externum consideres prout cum actu interno voluntatis unum moraliter actum constituit, hic actus utique intrinsicè moralis est dicendus.

4^o *Moralitas formalis et moralitas obiectiva*. Moralitas primo et per se convenit *actui humano*; unde actus humanus *formaliter moralis* est dicendus. Quum autem regula morum non regulet actum humanum, nisi regulando eius obiectum, obiectum etiam dicendum est bonum vel malum moraliter bonitate vel malitia non formali quidem, sed *obiectiva*. Haec ergo moralitas obiectiva est modus quidam obiecti habendi se sub lege, tamquam sub mensura cui vel consonat vel dissonat in quantum terminat voluntatis actum ¹⁾.

47. — **Regula moralitatis.** Sicut ordo artificialis sumitur per comparisonem ad regulas artis, ita ordo moralis sumitur secundum regulas moralitatis. Quae regula, sicut in artificialibus sumitur a fine proprio artis, sic in moralibus a fine moralitatis, qui est finis ultimus totius humanae vitae. ²⁾ Hinc moraliter bonum est quod commensuratur seu adaequatur huic regulae ordinanti in finem ultimum, malum autem quod ab illa adaequatione deficit. — Regula autem moralitatis duplex distinguitur: alia suprema et extrinseca, quae est lex aeterna seu ratio Dei; alia proxima et homogenea seu intrinsicè, quae est ratio humana. Iam age:

I. Regula moralitatis SUPREMA seu lex aeterna est *ratio* (i. e. ordinatio) *divinae sapientiae* secundum quod est directiva omnium actuum in finem ultimum. ³⁾ Vocatur *lex* seu ratio divina, adiuncta voluntate divina; et

¹⁾ Cfr. Salm. mor. Tract. XX. cap. 1. *Punct.* 1. 6.

²⁾ 1. 2. *qu.* 21. *a.* ad 2.

³⁾ Cfr. 1. 2. *qu.* 93. *a.* 1.

quidem *lex aeterna*, non *lex divina positiva*. Cetera autem quae ad explicationem huius definitionis spectant, vide in tractatu de Legibus n. 130, ubi ex professo de lege aeterna agendum est.

Ab hac autem lege aeterna tamquam a prima regula seu mensura actuum humanorum omnes aliae derivantur et habent rationem legis quatenus ei subordinantur et ab ea participant. Haec autem participatio legis aeternae quatenus est naturalis seu a natura indita vocatur *lex NATURALIS*, et continet prima principia moralia naturaliter nota et etiam, *reductive* saltem, conclusiones ex primis principiis deductas. Quatenus vero haec participatio locum habet mediante revelatione seu communicatione speciali, vocatur *lex POSITIVA*, sive *divina*, si nititur revelatione divina, sive *humana*, si nititur promulgatione facta a legislatore humano. Leges autem positivae sunt participationes legis aeternae *mediante lege naturali*, quatenus haec dicitur parendum esse legitime praecipienti, Deo primum, cui homo in omnibus subiicitur, dein et homini, quatenus iste divinam auctoritatem participat.

II. Regula *PROXIMA* et homogenea seu intrinseca moralitatis est *ratio humana*, quatenus participat legem aeternam et subiicitur ei, seu *dictamen rationis quod est participatio legis aeternae*. Est proinde ratio, non secundum se, sed ut informata principiis legis naturalis eorumque conclusionibus et praeceptis legis positivae, divinae et humanae, et principiis particularibus prudentiae, seu ratio ut perfecta et formata per synderesin, scientiam moralem, praecepta divina et humana et principia particularia prudentiae.

Nota. Hucusque dicta spectant ipsam regulam moralitatis determinatam et *obiectivam*, seu prout in se est. Haec regula applicatur ad actus particulares per dictamen *conscientiae*, quod iudicat de hic et nunc faciendis. Conscientia proinde est applicatio prioris regulae, et simul, quum ipsa regulet actus in particulari, dici potest regula proxima moralitatis pro actibus ut hic et nunc ponendis. Et quia huius dictaminis rectitudo sumitur, non secundum legem ut est in se, sed ut est nobis subjective cognita et manifestata, seu secundum media et circumstantias contingentes, ex quibus notitia de lege et de actu ponendo hauriri potest, regula proxima *subjectiva* dicitur. Cfr. infra n. 64.

48. — *Species moralitatis.* I. Certum est dari saltem *duas* species completas moralitatis, *bonitatem* dico et *malitiam* moralem. Dicimus: species *completas*, hoc est, tales quae actui sumpto in individuo cum omnibus suis circumstantiis conveniunt. Bonitas autem moralis consistit in positiva conformitate actus humani cum regula morum ordinante eum in finem ultimum verum; malitia moralis in positiva difformitate ab eadem, ita ut actus tendat in finem ultimum falsum. — Porro, recapse dari actus humanos in concreto moraliter bonos vel malos ex ipso facto existentiae regulae morum ultro sequitur.

II. Praeter has duas species assignatur tertia moralitatis species, *indifferentia* scil. moralis. Circa ipsam tamen non est una theologorum sententia. Certum quidem est dari indifferentiam moralem tamquam

speciem *incompletam*, seu dari actus secundum *speciem* indifferentes. Etenim actus humanus indifferens secundum speciem seu in abstracto sumptus est actus qui ex solo obiecto, secluis circumstantiis, neque bonus est neque malus, sed indifferens quoad utrumque; iamvero, patet dari plures actus quorum obiectum ex se neque est positive conforme regulae morum neque ipsi difforme, sed indifferens ab ipsa declaratur, quia ex se nullam relationem cum fine ultimo habet; tales actus sunt v. g. actus deambulandi, onera levandi et huiusmodi. ¹⁾ (n. 41. 43.)

Disputatur tamen utrum haec indifferentia sit incompleta moralitatis species *proprie dicta* an *improprie dicta* tantum. Sunt qui putent indifferentiam *proprie* esse *extra* genus moralitatis, eo quod regula morum nihil positive circa obiecta indifferentia statuatur. ²⁾ Sed rectius indifferentia moralis dici videtur species *proprie dicta* moralitatis; est enim talis vi ipsius regulae morum, quia regula morum positive saltem statuit obiecta illa ordinari *posse* in finem ultimum. Unde etiam vocantur atque, servatis servandis, vere sunt *permissa*. ³⁾

Controvertitur, utrum detur species etiam *completa* indifferentiae moralis, a. v. num actus humanus complete seu in individuo spectatus umquam possit manere moraliter indifferens. Quae quaestio cum annexis suis in numero sequenti paulo fusius tractabitur.

49. — Quaestiones. QUÆR. 1^o *An detur* ACTIO INDIFFERENS IN INDIVIDUO, i. e. actio quae spectatis omnibus circumstantiis eam individuantibus maneat indifferens et tamen sit actus vere humanus.

Notes: 1^o quaestionem agitari tantum de actu *vere* humano seu deliberato; nemo enim negat actus indeliberatos, ut sunt sic dicti actus *hominis*, qui ex mera imaginatione seu naturae impulsu procedunt, nec esse bonos nec malos moraliter, quia non sunt actus humani et proinde extra genus actuum moralium existunt; 2^o agi de indifferentia ex carentia *omnis* bonitatis vel malitiae moralis; non de indifferentia ad bonitatem vel malitiam aut ad meritum vel demeritum in ordine *supernaturali*.

Resp. Disp. Affirmant Scotistae; sed probabilius negandum cum S. Thoma, Thomistis et pluribus aliis. Etenim actus humanus etiamsi secundum speciem seu ex obiecto sit indifferens, tamen in individuo indifferens esse nequit, cum quilibet actus individualis necessario habeat aliquam circumstantiam per quam trahitur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis.

Huius rationes sunt: 1^o Actus humanus circumstantiis determinatus semper ad aliquem finem ultimum est ordinatus. ⁴⁾ Atqui talis actus necessario erit moraliter bonus aut malus. Etenim ex ordinatione ad finem ultimum verum actus, etiamsi ex obiecto sit indifferens, erit bonus; si vero ad aliquid aliud ordinatur tamquam ad finem ultimum, quod tamen vere finis ultimus non est, erit malus.

¹⁾ Cfr. 1. 2. qu. 18. a. 8.

²⁾ Cfr. Bouquillon. n. 348.

³⁾ Cfr. 1. 2. qu. 92. a. 2; de Malo qu. 2. a. 5; Frins. II. 189.

⁴⁾ Cfr. 1. 2. qu. 1. a. 6; Gonet. *Clypeus theol. thom. pars II. tract. 1. disp. 1. q. 7*; Gredt. I. c. n. 927; supra n. 4. III.

2° Homo, deliberate agens, vel agit actualiter aut virtualiter ex intentione finis honesti seu alicuius virtutis, et tunc actio est bona ex fine intento, etiamsi ex obiecto sit indifferens; vel non agit actualiter vel virtualiter ex intentione finis honesti, et tunc actio est mala eo ipso quod caret fine honesto. Homo enim in omni actu deliberato tenetur agere saltem virtualiter ex intentione finis honesti, quia tenetur agere ut homo et proin ex intentione finis, naturae humanae seu rationi consentanei. ¹⁾

Confirmatur ex eo quod actus indifferens in individuo esset actus carens iusta necessitate vel pia utilitate, ideoque hoc ipso actus otiosus; actus autem otiosus est malus, ut colligitur ex Matth. XII. 36: «Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.» ²⁾

50. — NOTANDA. 1° Totum igitur fundamentum huius sententiae stat in hoc, quod homo quotiescumque cum deliberatione rationis agit TENETUR ACTUM SUUM IN FINEM HONESTUM ALICUIUS VIRTUTIS ET IN DEUM REFERRE. Ad hoc tamen non requiritur, ut quis in omni actu actualiter intendat finem honestum; multo minus ut actualiter et explicite opus in Deum referat. Ad hoc ut actus sit bonus sufficit actum *virtualiter* ex intentione finis *honesti* procedere, h. e. procedere vi intentionis praecedentis, puta faciendi omnia virtuose seu in ordine ad bonum honestum. Talis enim actus revera refertur in finem honestum; hoc etiam sufficere ut actus sufficienter in Deum sit ordinatus, habes in *qu.* 2.

2° Iuxta aliquos, saltem ii qui addicti sunt sententiae scotisticae *per accidens* ponere valent actus indifferentes in individuo, efformando sibi conscientiam scoticam. ³⁾ At nec hoc admittendum videtur; etsi homo erronee putet se ponere actum nec bonum nec malum, sed indifferentem, nihilominus simul efformat iudicium practicum prudentiae, hanc actionem quam putat otiosam sibi esse licitam atque hoc modo actio illa obiective necessario erit illi bona et non indifferens, quamvis operans speculative id non percipiat. ⁴⁾

3° Iuxta plures auctores modernos revera non dantur actus *materialiter* seu *obiective* indifferentes; dari vero possunt actus humani *formaliter* seu *subjective* et *per accidens* indifferentes, quatenus ponuntur aliqui actus cum deliberatione, sed sine ulla advertentia ad regulam morum.

Atvero, saltem de facto vix ullus erit actus vere humanus et liber, quin simul, saltem *confuse* et *implicite*, sive in ipso actu sive quando *causa* actus ponitur, percipiatur aliquis dependentia a regula morum. Ad hanc enim perceptionem sufficit, ut homo advertat obligationem connaturaliter agendi, i. e. propter finem naturae humanae consentaneum; iamvero talis advertentia in homine, usu rationis fruente eaque de facto utente, vi syndereseos seu habitus primorum principiorum moralium, cuivis homini inditi, vix umquam deerit. Imo dicendum videtur hanc advertentiam in actu vere humano omnino deesse non posse, cum notio boni humani a deliberatione illa, quae ad actum humanum requiritur, exulare nequeat. ⁵⁾

Quidquid vero est de hac controversia, certum est actum humanum per se dirigi *debere* in finem honestum, ita ut saltem peccatum materiale habeatur, quotiescumque haec intentio, etsi inculpabiliter, deesset.

¹⁾ Cfr. 1. 2. *qu.* 18. a. 9.

²⁾ Cfr. 1. 2. *qu.* 18. a. 9 *sed contra*; *Qu. disp. de Malo. qu.* 2. a. 5.

³⁾ Cfr. Bouquillon. *l. c. n.* 377.

⁴⁾ Cfr. Joh. a S. Thom. *in* 1. 2. *qu.* 18. *disp.* 9. *ari.* 7. n. 80 *sequi*; Frins *l. c.* II. n. 519.

⁵⁾ Cfr. 1. 2. *qu.* 74. a. 7.

51. — QUAER. 2^o QUOMODO ergo actus humani ad Deum tamquam finem ultimum verum referendi sint, ad hoc ut sint simpliciter boni.

Nota, hic tantum agitari quaestionem, quid requiratur ut actio sit simpliciter honesta; non vero, quid requiratur ut sit de condigno meritoria praemii supernaturalis; qua de re videsis infra n. 340. ¹⁾

Resp. Requiritur ut homo in omni suo actu subiective et positive in finem ultimum verum tendat: *subiective*, i. e. cum vera volitione finis ultimi veri, qua subiectum agens in finem ultimum tendit; *positive* non mere negative, i. e. non tantum non excludendo finem ultimum. Non tamen requiritur ut haec intentio sit actualis nec ut sit explicita, sed sufficit *virtualis* et *implicita*: *implicita*, i. e. intendendo bonum sibi connaturale seu honestum, quin explicitate de Deo tamquam fonte et fine omnis honestatis cogitet; *virtualis*, i. e. agendo sub influxu intentionis boni honesti antea habitae; qui influxus aderit in omni actu ceterum non peccaminoso eius, qui se et omnia sua in finem virtutis vel in Deum ordinavit. ²⁾ — Talis intentio saltem requiritur, quia secus actus non revera refertur in Deum. Sufficit autem talis intentio, quia ex una parte sic habetur *vera* directio actus in finem ultimum: etenim ille qui virtualiter saltem ex intentione finis honesti operatur, implicite actus suos in Deum ordinat, quum talis actus ex fine honesto procedens natura sua referatur in Deum tamquam regulam, fontem et finem omnis honestatis; ex alia autem parte intentio actualis et explicita semper haberi nequit, quia hoc est supra humanas vires. ³⁾

Quum dicamus positivum ordinem in finem ultimum requiri, theoretice discrepamus ab iis auctoribus, qui docent sufficere ut finis ultimus non excludatur; practice vero ab illis vix differimus, cum, nostro iudicio, homo opus ceteroquin bonum ponendo, necessario finem ultimum saltem implicite intendat, quoties eum non excludit. ⁴⁾

NOTA PRO PRAXI. Quamvis actualis et explicita relatio operum in Deum non requiratur, merito tamen auctores cum S. Alfonso commendant (non imponunt) fidelibus, ut saepe per diem vel saltem mane omnes actiones explicitate in Deum referant. Idque vel ex eo magis utiliter commendatur, quia ubi similis praxis negligitur, valde timendum est, ne plures actiones de facto ex motivo rationi dissono et saltem venialiter malo ponantur. (n. 44. H. A. n. 21; cfr. *Vind. Alf. I. p. 155.*)

¹⁾ Neque confundenda est haec quaestio cum hac altera de obligatione scil. ex *praecepto caritatis Dei* referendi se et omnes actiones suas in Deum tamquam finem ultimum super omnia diligendum caritate supernaturali; hoc modo homo tenetur omnes actiones suas in Deum referre, quoties urget praeceptum caritatis. (Cfr. infra n. 340). Actus deliberatus nequit esse bonus, quin referatur in Deum eo modo, quo dicitur in textu; sed potest esse moraliter bonus, quin referatur in Deum super omnia dilectum amore caritatis; secus peccatores in omni suo actu peccarent. Notes tamen secundum doctrinam S. Thomae in homine justo omnem actum bonum virtualiter referri in Deum super omnia dilectum amore caritatis vi actus caritatis quo se et omnia sua in Deum ordinavit.

²⁾ Imo in tali actu multis videtur etiam intentio *actualis* implicita semper adesse; cfr. Ernst. *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung.* § 3.

³⁾ Quum S. Alfonso n. 41 dicit ad hoc ut actus sit bonus requiri ut saltem per intentionem virtutalem ad Deum seu ad gloriam Dei referatur, hoc est intelligendum de intentione *virtuali implicita*, ut patet ex sequentibus, ubi intentionem saltem virtutalem finis *honesti* in genere sufficere edicit. Errant igitur qui S. Alfonso imponunt sententiam secundum quam omnia virtualiter *explicitate* in gloriam Dei referre onetur homo, ne saltem venialiter peccet.

⁴⁾ Cfr. Gredt. *I. c. n. 949*; Lehu. *Philos. mor. p. 123. 3^o: Vind. Alt. - II. p. 500.*

*Articulus II.***Principia moralitatis.**

52. — Principia moralitatis dicuntur ea, ex quibus fit, ut actus bonus sit, aut malus, aut indifferens. Sunt autem proprie loquendo duo, obiectum morale et circumstantiae morales: sed, cum finis sit circumstantia praecipua, de eo seorsum agunt Theologi, et hac ratione tria numerantur moralitatis principia, scilicet *obiectum*, *finis*, et *circumstantiae*, eaque omnia prout subsunt regulis morum.

§ I. - OBIECTUM.

53. — Notio. Obiectum hic est id, quod actus *primo* et *per se* attingit, prout subiacet regulis morum; v. g. res aliena est obiectum furti, Deus obiectum caritatis, proximus homicidii. (n. 36.)

Divisio. Obiectum morale bifariam distinguitur; est nempe vel *intrinsece* bonum aut malum aut indifferens, quando legi *naturali* directe conforme aut difforme est aut ab ea permittitur; vel *extrinsece*, quando directe regulatur lege positiva (quamvis indirecte legi naturali subsit, a qua quippe omnis lex positiva vim suam mutuatur). Hinc intrinsece mala dicuntur prohibita quia mala sunt; extrinsece mala dicuntur mala, quia prohibita sunt.

Obiectum *intrinsece* bonum vel malum subdividitur in *absolute* tale, et *hypothetice* solum: 1^o *absolute*, quod *per se* congruit vel repugnat ordini rerum metaphysice necessario et immutabili, ex ipsis rerum essentiis emananti. Sic Dei amor et cultus sunt quid absolute bonum; odium Dei, periurium, mendacium, sunt quid absolute malum. — 2^o *Hypothetice*, quod *per se* congruit vel repugnat ordini rerum hypothetice necessario, supposita nempe tali rerum conditione; hoc per accidens in certis circumstantiis mutari potest; quia dependet a supremo Dei vel ab hominis dominio. Sic abiatio rei alienae, homicidium, famae laesio, sunt intrinsece mala; aliquando tamen licita evadunt.

Obiectum bonum demum potest esse aut de praecepto aut de consilio tantum; insuper potest esse perfectum aut involvere imperfectionem.

54. — **Principium.** *Actus humanus ab obiecto prout subest regulae morum desumit* PRIMARIAM ET ESSENTIALEM MORALITATEM SUAM. Ratio est, quia actus moralis debet sumere primam speciem moralitatis ab eo, quod primario respicit, seu in quod primo et per se tendit, prout hoc subiacet regulis morum; atqui tendit per se primo ad obiectum; circumstantias vero solum attingit consequenter et secundario; igitur si capit ab obiecto morali bonitatem vel malitiam, haec debet esse prima et essentialis. Cfr. 1. 2. qu. 18, a. 2. (n. 37.)

Neque obiciatur, priorem esse respectum ad finem quam ad obiectum, atque ideo primam moralitatem desumendam esse ex fine. Si enim intelligitur finis operis, coincidit cum obiecto; si finis operantis, ipsam volitionem obiecti praerequirit, eique superadditur. (Cfr. tamen n. 62.)

Inde sequitur, quod si obiectum est indifferens, bonitatem vel malitiam primam tunc accipiet ex fine aliisque circumstantiis, quibus honestari vel vitari potest. (n. 41.)

55. — Quaestiones. **QUAER.** 1^o *Quodnam proprie sit obiectum morale actus eliciti voluntatis, quatenus IMPERAT alios actus.*

Resp. Est ipse actus imperatus, prout subest regulae morum. Illud enim est obiectum morale actus voluntatis, quod voluntas primo et per se vult quatenus illud subest regulae morum. Sed quando voluntas imperat alium actum, hunc ipsum actum primo et per se vult; et quidem ut obiectum *morale*, quatenus subest regulae morum. — Cum vero ipse actus imperatus iterum tantummodo ex suo obiecto morali subsit regulae morum, sequitur actus imperantis et actus imperati moraliter idem censi posse obiectum. Unde si quis vult auferre rem alienam, obiectum immediatum volitionis est actus auferendi, quo mediante tangit rem alienam quae est obiectum actus auferendi. ¹⁾

QUAER. 2^o *An actus elicitus voluntatis hauriat aliquam moralitatem ex actu externo, ut est actus.*

Praen. Dicitur: *ut est actus*, i. e. effective seu ex ipsa operis positione: nam actum voluntatis ex actu externo *ut est obiectum* seu specificative haurire moralitatem, sequitur ex principio supra tradito. Dicitur: *aliquam moralitatem*: iamvero duplex distingui potest moralitas: *essentialis* seu simpliciter dicta et *accidentalis* seu secundum quid. Illa est ea moralitas quae oritur ex *volitione* finis; cui correspondet praemium vel poena *essentialis* in altera vita; moralitas vero *accidentalis* ea est quae accidit ei ex *adeptione* finis, atque cui correspondet praemium vel poena *accidentalis*.

Resp. Dist. 1^o Actus elicitus voluntatis *per se* nullam moralitatem *essentialem* haurit ex positione actus externi. Ratio est quia actus externus ex se nullam habet moralitatem *essentialem*, sed e contra omnem talem haurit ex voluntate; quia sola voluntas est intrinsece libera, libertas autem est fundamentum omnis moralitatis *essentialis*. Confirmatur ex S. Scriptura ubi sincera voluntas pro facto reputatur; cfr. Gen. XXII. 16, Matth. v. 28.

Per accidens vero moralitas volitionis augeri potest ex positione actus externi; quatenus occasione huius positionis actus volitionis aut multiplicantur aut diuturniores aut vehementiores fiunt, sicuti obtinet in iis operibus quae magnam secum ferunt delectationem.

2^o Moralitatem vero quamdam *accidentalem* actus elicitus haurit ex positione actus externi, quatenus mediante opere externo de facto finem intentum adipiscitur. Ratio est quia omnis inclinatio vel motus perficitur ex eo quod consequitur terminum suum. Confirmatur ex eo quod ipsi operi externo praemium quoddam *accidentale* adiungitur, uti patet v. g. ex aureola martyrum. (n. 40.) ²⁾

¹⁾ Cfr. Jo. a. S. Th. in 1. 2. qu. 18. disp. 8. art. 2. n. 30.

²⁾ Cfr. 1. 2. qu. 20. a. 4; 2 *Sent. dist.* 40. qu. 1. a. 3; 4 *Sent. dist.* 49. qu. 5. a. 3. sol. ad 3.

§ II. - CIRCUMSTANTIAE.

56. — **Notio.** Nomine circumstantiae in actu morali intelligitur actus humani accidens, ipsum in specie morali iam contitutum moraliter afficiens, id est, conferens illi accidentalem quamdam bonitatem vel malitiam.

Divisio. Septem numerantur circumstantiae hoc versiculo comprehensae: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. In qua enumeratione sub *quid* comprehenditur etiam *circa quid*; cfr. 1. 2. qu. 7. a. 3.

Quis denotat qualitatem personae, e. g. quod peccans sit persona sacra. *Quid* ut *circa quid* indicat materiae qualitatem aut quantitatem, e. g. quod res furto ablata sit sacra, in parva vel magna quantitate. *Quid* sine addito indicat effectum v. g. perniciem innocentium in captu urbis. *Ubi* exprimit conditionem loci, e. g. furtum in loco sacro. *Quibus auxiliis* significat media, quibus quis utitur, e. g. seductione aut coactione complicitis. *Cur* designat finem operantis, v. g. furtum ad potandum. *Quomodo* denotat modum actus, e. g. facti cum plena advertentia, ex ignorantia, ex metu. *Quando* declarat temporis conditionem, e. g. moram temporis in peccando. (n. 39.)

57. — **Principia.** I. *Actus humanus ALIQUAM bonitatem vel malitiam sumere potest a circumstantiis.* Ratio est, quia, sicut obiectum, ita et circumstantiae, possunt habere aliquam relationem convenientiae vel inconvenientiae ad rationem. Patet etiam ex analogia rerum naturalium, quae non habent omnem suam perfectionem a forma substantiali, sed magnam partem ab accidentibus, puta a colore, figura, proportione partium etc., quorum si desit aliquid, malum dicitur. Cfr. 1. 2. qu. 18. a. 3. (n. 39.)

II. *Circumstantiae QUANDOQUE PRIMAM actui dant bonitatem vel malitiam*; idque accidit: 1° quando obiectum est *indifferens*: quia tunc ex obiecto nulla bonitas vel malitia oritur ideoque bonitas vel malitia necessario primo oritur ex circumstantiis actum individuantibus, saltem ex fine, ut supra probatum fuit (n. 49): ut cum quis deambulat ex obedientia vel contra eam; — 2° quando circumstantia aliqua obiecti bonitatem vel malitiam *tollit* actumque ex obiecto bonum reddit malum vel ex obiecto malum reddit bonum. *Prius* accidit quando actui ex obiecto bono accedit aliqua circumstantia mala, iuxta effatum S. Tomae: *Bonum causatur ex integra causa, malum ex singularibus defectibus*¹⁾; ita v. g. cum datur elemosyna cum detrimento familiae, egestate pressae. *Alterum* obtinet, quando actui ex obiecto extrinsece vel intrinsece sed hypothetice malo accedit circumstantia malitiam obiecti tollens illudque bonum reddens, ut cum quis die Dominica Missam omittit ut moribundo assistat, vel in extrema sua necessitate aufert rem alienam ut sibi sublevet. Patet ex dictis n. 53.

¹⁾ 1. 2. qu. 19. art. 6. ad 1.

Aliquando circumstantia mala non videtur tollere omnem bonitatem actus; eo vel magis, quod secus pauci actus boni etiam in viris sanctis reperirentur. (n. 39.) Attamen, secundum plures, si omnino formaliter loqui velimus, res apparenter tantum ita sese habet; cum principium mox traditum exceptionem haud patiat. Unde de facto tunc saepe *plures* actus saltem interni seu elicitii voluntatis ponuntur; actus vero externus erit malus vel bonus, prout mala circumstantia eum reapse inficit aut non ita.¹⁾

III. *Circumstantiae DIVERSE afficiunt actum; aliae nempe addunt actui novam bonitatem vel malitiam specie distinctam: aliae vero augent dumtaxat vel minuunt eam intra eandem speciem.* Ratio est, quia quaedam circumstantiae speciem moralitatis ex se habent diversam ab ea, quam actus ab obiecto trahit; quaedam vero nullam habent distinctam moralitatem, sed augent tantummodo vel minuunt eam, quae ab obiecto provenit. Hinc v. g. quod res furto ablata ad divinum cultum pertineat, novam malitiae speciem superaddit; at quod in magna vel parva materiae quantitate ablata sit, solummodo potest furti malitiam in eadem specie augere vel minuere.

Ergo eidem actui plures simul inesse possunt moralitates specie diversae; ob plures circumstantias adiunctas speciem mutantem, e. g. persona sacra, quae adulteratur, quatuor peccata specie distincta perpetratur; unum contra castitatem, accedendo ad non suam; secundum contra iustitiam, accedendo ad alienam; tertium contra religionem, violando votum; quartum contra caritatem proximi, praebendo scandalum complici.

IV. *Circumstantiae actum malum in aliam speciem THEOLOGICAM transferre possunt: si speciem moralem non mutantem ita peccata minuant aut aggravent, ut ex mortali fiat veniale aut viceversa.* Tunc actum in aliam speciem *theologicam* transferre dicuntur, quatenus haec non ordinem honestatis naturalis, sed ordinem gratiae respicit.

58. — Quaestiones circa circumstantiam effectus. QUAER. 1^o *An et quomodo actus humanus moralitatem aliquam desumat ex circumstantia effectus.*

Praenotandum hic quaeri tantum de moralitate quam actus humanus sumit ex effectu qui est *circumstantia* actionis vel omissionis; h. e. de effectu qui *praeter intentionem* sequitur et proin non est in se voluntarius sed ad summum in causa tantum; effectus enim qui directe intenditur non est circumstantia sed obiectum vel finis actionis — saltem partialis vel secundarius — et proin actus necessario induit eius moralitatem. — Ceterum notes effectum et causam hic sumi latiori sensu, ut supra n. 25. pro voluntario in causa notavimus.

Resp. 1^o Effectus moraliter *bonus* qui praeter intentionem ex actione vel omissione sequitur nullam actui tribuit bonitatem; etenim ut actio fiat bona, bonum in se et propter se appetendum est. (cfr. infra n. 61. III.)

¹⁾ Cfr. Walsh. *de act. hum.* n. 531 sequ.; Jo. a S. Thom. in I. II. qu. 18. disp. 9. art. 4.

2° Ut effectus in se seu ex specie sua *malus*, qui praeter intentionem ex actione vel omissione sequitur, agenti in culpam imputetur, hae tres concurrant conditiones oportet: a) ut agens sufficienter *praevideat*, confuse saltem, hunc effectum; b) ut *possit* causam non ponere vel positam remove; c) ut *teneatur* causam non ponere vel positam remove, ne effectus sequatur. — Ratio primae et secundae conditionis est quia secus effectus nequit esse voluntarius nec proin imputabilis in culpam. (cfr. supra n. 26.) — Ratio tertiae conditionis est quia, ut id quod praeter intentionem ex actione sequitur faciat actum malum, non sufficit ut in se sit malum, sed requiritur ut sit malum etiam ut *circumstantia effectus*, seu ut sit obligatio praecavendi talem effectum.

Effectus enim qui *praeter intentionem* ex actione sequitur, quoad moralitatem quam tribuit actui diiudicandus est non in se absolute sed ut circumstantia effectus est, in sua relatione cum obiecto et aliis circumstantiis; hinc ut talis effectus reddat actum malum, non sufficit ut in se seu ex specie sua malus sit — ut sic facit actum malum si tamquam obiectum vel finis intenditur — sed ut iam sit mala tamquam effectus, seu ut ipsa causa fiat mala et cavenda quia inde talis effectus sequitur. Argumentum et sic proponi potest: cum voluntas feratur in causam, et non in effectum secundum se, sed e contra effectum secundum se permittat tantum, effectus ei imputari nequit, nisi propter obligationem vitandi talem effectum agens moraliter censeatur illum in se voluisse.

QUAER. 2° *Quando urgeat haec obligatio causam non ponendi vel positam removendi ne effectus malus sequatur vel alias impediendi talem effectum, ita ut secus effectus malus agenti imputetur.*

Resp. 1° Si agitur de effectu in se malo ad quem agens POSITIVE concurrat, *per se*, i. e. *nisi legitima ratio excuset*, adest obligatio *generalis* tales effectus praecavendi.

2° Si agitur de effectu in se malo, ad quem agens NULO POSITIVO INFLUXU concurrat, non adest obligatio *generalis* omnes tales effectus praecavendi; ut plurimum tamen habebitur obligatio *particularis*, uti religionis vel iustitiae vel saltem caritatis, impediendi talem effectum, nisi legitima ratio excuset.

Porro positive ad effectum concurrat qui ponit causam per se talis effectus atque etiam, uti videtur, qui ponit causam per accidens quae non sit mera conditio sine qua non vel mera occasio vel mera ommissio; secus vero agens nullo positivo influxu ad effectum concurrat.

Ratio prioris est: a) quia talis effectus, quamquam non directe intenditur, tamen est circumstantia actus necessario pertinens ad agentem et a qua abstrahere nequit, cum per positivum influxum ab actione profluat. Et *per se* est circumstantia mala moraliter ideoque facit actum malum. — b) Quamquam agens non directe in se intendit effectum malum nec ut finem nec ut medium, imo effectum secundum se permittit potius, tamen, nisi adsit ratio proportionata, implicite pandit animum non satis aversum a malo ideoque recte moraliter censeatur in se voluisse hunc effectum. Etenim numquam agens poneret hanc causam, nisi bonum cui talis malus effectus coniungitur, magis appeteret quam bonum, puta caritatis, iuris proximi, quod per talem effectum malum privatur. (Cfr. S. Thom. 1. qu. 19. a. 9.).

Ratio alterius est quia tunc agens mere *non impedit* talem effectum; sed nemo ex lege quadam generali tenetur quaevis mala impedire, quae impedire potest, sed cuique licet ius suum prosequi quamdiu non constat de obligatione aliqua particulari malum impediendi, puta ex caritate; quae quidem obligatio ex propriis praeceptis cuiuscumque virtutis aestimanda est. Quando nulla adest talis obligatio specialis, effectus ille nullo modo ad agentem pertinet nec proin actionem eius afficit.

In utroque casu quando adest ratio proportionata causam ponendi ex ipsa causa vel ex alio effectu desumpta, effectus non imputatur agenti, quia tunc effectus ut circumstantia effectus iam amplius non est moraliter malus — circumstantia effectus enim quoad moralitatem diiudicanda est relative ad causam et alias circumstantias — et nullus inordinatus affectus in actu implicatur, quum bonum, quod agens appetit, praeponderet aut saltem aequivaleat bono, quod per malum effectum privatur. — Accedit quoad secundum casum, quia tale praeceptum impediendi, utpote affirmativum, suas limitationes accipit ex collisione cum aliis officiis vel iuribus praevaletibus. Hinc v. g. et i sacerdos officium suum implendo, praevideat blasphemias incredulorum exinde secuturas, nullatenus tamen eius actio ex hoc effectu per accidens inficitur, cum nulla adsit obligatio cavendi huiusmodi effectum, qui mere *occasione* impletionis officii sacerdotalis oritur. — Confirmatur quoad utrumque ex eo quod secus homo frequentius quam recto ordini vitae humanae praesertim socialis convenit, in exercitio iurium suorum impediretur. Iamvero talem deordinationem auctor naturae humanae haud voluisse censetur: sicuti comprobatur communi sensu et praxi omnium hominum.

Obicitur: aliqua mala sunt ita intrinsece mala, ut sub nulla hypothesis fieri possint bona.

Resp. Dist. Quatenus in se sive ut *finis* sive ut *medium* intenduntur, *concedo*. Quatenus *praeter intentionem* ex actione sequuntur, *subdist.*: si ipsorum causa sine ratione proportionata ponitur, *concedo*; si ipsorum causa ex ratione proportionata ponitur, *nego*. Ratio patet ex supradictis.

Unde, si dicatur occisio innocentis semper esse intrinsece mala, hoc ita intelligas, ut nunquam sive tamquam *finis* intendi sive tamquam *medium* eligi possit; non vero ita, ut nunquam poni possit causa, ex qua mors praeter intentionem sequi praevidetur. Nec obstat quod eo in casu effectus per se secundum dicta supra n. 26 semper voluntarius in causa est dicendus. Si enim dux exercitus ex ratione proportionata iubeat tormenta bellica in urbem dirigere, praevidens simul et abhorrens innocentium occisionem, haec ipsi physice voluntaria in causa dici potest, quatenus causa per se occisionis istius ponit; atvero ut *malum morale* ei non imputatur, cum reapse omne malum morale in tali effectu desit.¹⁾

QUAER. 3^o *Quandonam ergo non imputatur agenti effectus malus qui praeter intentionem ex actione sequi praevidetur.*

Resp. Hoc obtinet si: a) effectus revera non directe intendatur nec ut *finis* nec ut *medium*: non enim sunt facienda mala ut eveniant bona (Rom. III. 8); b) adsit ratio proportionata istam actionem ponendi: proportionatam dico effectui malo secuturo.²⁾

Hinc recte dicunt effectum malum non imputari, si ex actione duplex

¹⁾ Unde quando dicunt ducem circa occisionem innocentium *mere permissive* tantum se habere, haec expressio justificari posse videtur tantum *moraliter* seu humano modo loquendi, vel etiam eo sensu, quod circa occisionem innocentium secundum se praecise permissive se habet, quamquam voluntarie ponit eius causam.

²⁾ Illicetas actionis sive ex obiecto sive ex circumstantiis licet reddat eam malam, tamen non ex ea sequi videtur etiam effectum malum semper imputari; nisi actio praecise ideo sit illicita, quia quis tenetur illum effectum impedire. Ita plures v. g. Vermeersch I. n. 116. Noldin I. n. 83. Wouters I. n. 57 III c.

sequitur effectus, unus bonus (v. g. causa quam pono vel effectus aliquis ulterior) et alter malus, modo: a) effectus malus non directe intendatur, nec ut finis nec ut medium; b) bonus effectus saltem aequae immediate sequatur ac malus: si enim effectus bonus sequitur mediante effectu malo, hic necessario directe et in se intenditur; c) effectus bonus praeponderet vel saltem aequivaleat effectui malo.

QUAER. 4^o *Quaenam ratio proportionata seu sufficiens censi possit.*

Resp. Eo maior ratio requiritur, quo *peior* est effectus et quo *arctius* actui est coniunctus. Dicitur:

a) quo *PEIOR* est effectus: hinc videndum contra quam virtutem peccaretur, si effectus directe intenderetur. Ceteris enim paribus maius est peccatum contra Deum quam contra proximum et in peccatis contra proximum tanto maius habetur peccatum, quo altius bonum laeditur. Hinc maior ratio requiritur ad permittendam *occisionem* proximi quam ad permittendam eius *spoliationem*; cfr. infra n. 231.

b) quo *ARCTIUS* est actui coniunctus; hinc ceteris paribus maior ratio requiritur pro ponenda causa *proxima*, quam pro ponenda causa *remota*: pro ponenda causa *per se* quam pro ponenda causa *per accidens*; pro ponenda causa *positive* influente quam pro ponenda causa *negative* tantum influente.

Notes etiam quod ubi ad obligationem non causandi tale malum accedit obligatio *etiam impediendi* tale malum, puta ex caritate vel ex officio suscepto, ratio proportionata etiam secundum hanc obligationem pensanda est. Cfr. Billuart I. II. *Diss.* I. § 1. v. *fin.*

59. — *Resolutiones.* 1^o Non imputantur: a) Omissio Sacri, ei qui die festo summo mane se inebriavit, non praevidens inde securam Missae omissionem. — b) Pollutio chirurgi, qui eam praevidit sibi securam ex aspectu vel tactu necessario mulieris in partibus verendis, dummodo eam non intenderit et aliquam praecautioem adhibuerit. (n. 14.) — c) Sacrilegium Sacerdoti, qui porrigit Communionem peccatori occulto publice eam petenti; quia ob finem bonum, nempe ad vitandum damnum commune ex repulsa securum, permittit alterius peccatum. — d) Occisio iniusti vitae invasoris, si contingat, non intendendo ipsius occisionem, sed propriae solummodo vitae defensionem; invaso iusta subest causa defensionem suam non praetermittendi, et ideo medium adhibendi ad hunc finem necessarium, cum plus teneatur homo vitae suae providere quam vitae alienae. Cfr. S. Thom. 2. 2. *qu.* 64. a. 7.

2^o Imputantur: a) Homicidium ei qui glandem ei aculat, non adhibita sufficienti diligentia ne hominem occidat, posito nempe quod periculum advertit. — b) Abortus matri praegnantis et aegrotae, quae, absente mortis periculo, remedio utitur, quod, licet immediate curativum sit morbi, simul tamen est cum periculo abortus coniunctum: quia deest sufficiens causa utendi tali remedio. (*Lib.* 3. n. 394.) — c) Abortus puellae ex delicto gravidae, quae illum procurat ad evitandam infamiam; quia ponit actionem intrinsece malam et effectus bonus ex malo sequitur.

Nota. Incipit imputari pravus effectus in causa voluntarius, quando culpabiliter ponitur causa illius, etiamsi deinde effectus non sequatur. Si autem sequatur, verius malitiam peccati participat quatenus erit complementum peccati praecedentis; excepto casu quo homo malam voluntatem suam ante effectum, quem iam impedire non potest, retractaverit. Cfr. infra tom. II. n. 296. qu. 2. (*Lib. 4. n. 149; Lib. 5. n. 10.*)

§ III. · FINIS.

60. — **Notio.** Finis definiri potest: id cuius gratia aliquid fit. Est ergo id, cuius bonitas, vera vel existimata, voluntatem allicit, atque ad media adhibenda in ordine ad eius assecutionem determinat.

Divisio. Distinguitur: 1° ratione FONTIS a) *internus* seu *operis*, qui idem est cum obiecto actus atque ille est, ad quem actus suapte natura destinatur, v. g. sublevare alienam miseriam finis est eleemosynae; b) *externus* seu *operantis*, quem operans intendit supra finem operis, et haec proprie est circumstantia, de qua hic praecipue agimus, v. g. in erogatione eleemosynae intendere vanam gloriam. Quandoque tamen finis operantis non est alius a fine operis.

2° ratione INFLUXUS IN VOLUNTATEM est a) *totalis* quando solus, b) *partialis* quando una cum alio fine ad agendum movet. Fines autem partiales sunt aequae-principales si omnes aequaliter et sufficienter movent ad agendum; secus unus est *primarius* seu principalis, qui per se primo movet; alter *secundarius*, qui non per se primo, sed consecutive et supposito priore seu huic subordinate movet, quamvis forsitan etiam ob solum finem principalem operans non ageret. Cfr. supra n. 2. sub 2°.

3° ratione SUBORDINATIONIS INTER SE est a) finis *ultimus*, propter quem cetera volumus, ipsum vero propter se tantum; b) *intermedius*, propter quem aliquid volumus, sed quem rursus ad aliud referimus.

61. — **Principia fini operis et fini operantis communia.** I. *Homo in omni actu suo humano INTENDIT ALIQUEM FINEM, sive operis sive operantis.* « Actus enim dicuntur humani, in quantum procedunt a voluntate deliberata; obiectum autem voluntatis est *bonum* et *finis.* » (1. 2. qu. 1. a. 3.)

II. *Homo tenetur in omni actu suo humano intendere finem MORALITER BONUM, sive operis, sive operantis.* Homo enim tenetur in omni actu suo humano intendere finem ultimum verum (cfr. supra n. 51.) *Atqui* hoc non facit, si finis actus humani non est moraliter bonus, solus enim finis moraliter bonus convenit cum regula morum, directiva in finem ultimum verum (cfr. supra n. 49.)

Ex dictis sequitur non licere agere *propter SOLAM delectationem*, quae in nonnullis actibus, puta in ciborum et venereorum usu invenitur; delectatio enim *in se* nullam rationem boni honesti includit, cum non propter se naturae humanae conveniat, sed tantum quatenus inservit ad alliciendum

ad actiones vitae humanae necessarias vel utiles: «delectatio est propter operationem et non e converso.»¹⁾ Quam ob rem virtualiter saltem et implicite coniungenda est cum aliquo fine honesto.

Practice semper intenditur finis honestus, si quis, etsi delectationem intendens, *moderate* ea utitur; cum enim talis usus natura sua ordinetur ad finem honestum, uti v. g. ad conservationem vitae vel conveniens levamen naturae et similia, qui vult moderate ea uti, saltem implicite talem finem intendit, nisi eum positive excludat. Usus autem immoderatus *per se* tantum peccatum *veniale* constituit: quia *per se* non opponitur substantiae, sed *modo* tantum debito secundum regulam morum; *per accidens* vero potest fieri peccatum mortale, si quis ideo aliud praeceptum grave, ieiunii v. g. vel castitatis transgrediatur, vel etiam vere i. e. simpliciter et efficaciter in tali delectatione tamquam in fine suo ultimo sistat. Cfr. 2. 2. qu. 141. a. 1. ad 1 et a. 6; prop. 8 et 9 damn. ab Innoc. XI. (*Vind. Alf. pars VII. qu. 8.*)

III. *Ut actus humanus fiat moraliter* **BONUS**. *bonitas moralis finis sive operis sive operantis* **DIRECTE** seu **IN SE** *intendi debet; ut vero actus fiat moraliter* **MALUS**, *sufficit ut moralis malitia finis sit* **INDIRECTE** seu **IN ALIO** *tantum volita.*

Ratio *prioris*: ut enim actus humanus fiat moraliter bonus, homo eum ordinare debet in finem ultimum verum (cfr. princ. II). *Atqui*, haec ordinatio haberi nequit, nisi homo fines moraliter bonos intermedios directe seu in se seu ratione ipsius boni *moralis* intendat. Secus enim eos intendit ratione alterius boni non moralis ideoque non subordinabilis fini ultimo vero. Unde dicit S. Thomas: «Ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur, quod sit boni sub ratione boni, idest quod velit bonum et propter bonum.» (1. 2. qu. 19. art. 7. ad 3.) Sufficit autem ut illa ratio boni virtualiter et implicite intendatur.²⁾

Ratio *posterioris*; ut enim actus humanus fiat moraliter malus, sufficit, ut eius finis sit in se malus, etsi intendatur ratione boni; finis enim in se malus non est ordinabilis in finem ultimum verum. Secus etiam pauca tantum peccata committerentur, cum peccatores non soleant directe seu in se intendere malitiam mceralem qua talem. In ea enim plerumque nullam apparentem rationem boni inveniunt, nisi formali odio in Deum animentur. Sed plerique directe intendunt tantum delectationem inordinatam, quacum peccatum coniunctum esse dolent.³⁾

62. — **Principia circa finem operantis tantum. I. Actus ex obiecto** **BONUS** *et ad BONUM finem directus, habet duplicem bonitatem; similiter actus in se* **MALUS** *et propter finem* **MALUM** *duplicem habet malitiam; v. g.*

¹⁾ *Contra Gent. lib. 3. c. 26. n. 7; cfr. et 1. 2. qu. 4. a. 2. ad 2.*

²⁾ Cfr. Bouquillon. *Theol. mor. fund.* n. 357; Frins. l. c. II. n. 134 sequ.

³⁾ Cfr. *de Malo qu. 3. a. 12; Joh. a S. Thom. disp. 10. art. 1. n. 67. n. 73.*

eleemosyna ad satisfaciendum pro peccatis duplicem habet bonitatem, furtum ad sese inebriandum duplicem malitiam habet.

II. *Actus MALUS propter BONUM finem non desinit esse malus, quamvis eius malitia exinde minuatur*, v. g. mendacium ad proximum a periculo liberandum. Ratio est, quia bonum ex integra causa dicitur, malum autem ex singulis defectibus; unde vulgare axioma: « Finis non iustificat media. »

III. *Actus BONUS propter finem MALUM, si finis PRINCIPALIS sit, totus malus est*, v. g. eleemosyna data pauperi puellae ad corrumpendam pudicitiam eius, vel data propter inanem gloriam. Ratio est, quia eligitur bonum non ut bonum, sed ut medium ad finem pravum assequendum, quod sane malum est. — *Quod si finis SECUNDARIUS tantum sit, et non nisi leviter malus, actus partim bonus partim malus erit*, quemadmodum de circumstantia leviter mala dictum est, v. g. eleemosyna data principaliter ex misericordia, secundarie ex vana gloria;¹⁾ vel dicendum est cum aliis, etiam eo in casu actum esse malum si revera malo isto fine inficitur; in quo casu actus quo bonus finis intenditur, est actus bonus quidem, sed nullam influens bonitatem in actum imperatum, eumque mere concomitans. Cfr. supra n. 57. II.

IV. *Actus INDIFFERENS, si finis BONUS sit, totus bonus est*, v. g. ambulare ex obedientia; *si finis MALUS, totus malus est*, v. g. ambulare ad ostentationem luxus. (n. 38.)

Nota. Qui furatur ut moechetur, magis moechus est quam fur, siquidem adulterium est primo intentum, magisque moechanti voluntarium quam furtum; vult enim adulterium tamquam finem, quem sibi praefigit, et propter quem eligit actionem furti. Verum essentialis et primaria species operis potius est furtum, quam adulterium, utpote quae ex obiecto desumitur; quemadmodum qui eleemosynam tribuit ut satisfaciat Deo pro peccatis suis, magis iustus est quam misericors; nihilominus actio erogandi eleemosynam est opus misericordiae potius quam iustitiae.²⁾

¹⁾ Cfr. Billuart. *De act. hum. diss.* 4. art. 4. § 2.

²⁾ Cfr. Joh. a S. Thom. *in* 1. 2. *disp.* 8. art. 3. n. 47.

